



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Tractatvs Alter. In quo diluuntur abiectioes aduersariorum, de huius
Ordinis dignitate & antiquitate sequius sentientium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)



R. P. F. IOANNIS DE CARTHAGENA

De Sacra Antiquitate

ORDINIS GLORIOSISSIMÆ

DEI GENITRICIS SEMPER

VIRGINIS MARIÆ

DE MONTE CARMELO

Siue

Fratrum B. MARIÆ Virginis

Tractatus Alter.

In quo diluuntur Obiectiones aduersariorum, de
huius Ordinis dignitate, & Antiquitate
sequius Sentientium.

CAPVT I.

*Probatur ELIAM prophetam verè fuisse Monachum,
& monastici instituti in monte Carmelo primum
Fundatorem, omniumq; post Religio-
num Antesignanum.*

ARBITROR sanè sacro Ordini Carmelitano
per simile quidpiam, atque Patriarchæ Io-
sepho accidisse : etenim sicut Iacob patre Genes. 37.
eius tunicam polymitam ei soli præ cæteris alijs
fratribus suis donante in pignus singularis amoris,
quo illum prosequatur, inuidiæ liuore saucij eius
fratres aduersus eum excaudescere cœperunt sic Gen. 37.
enim ait sacer Text. Gen. 37. *Videntes autem fratres*
eius, quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant
eum, nec poterant ei quidpiam pacificè loqui. Non dif-
similiter, cum sanctissima Virgo in argumentum
specialis dilectionis, qua erga Carmeliticum Or-
dinem

Paleonyd.
Ioan.
Fauent.
Philip.
Macer.

Aristot.

dinem æstuabat, tunicam polymitam scapularis dono dederit B. *Simoni Stoch* Anglo, Carmeliticæ Ordinis Priori Generali, vt in eius officio legitur, & tradunt *Paleonydorus lib. 3. cap. 12.* *Ioan. Fauent.* & *Philippus Macer.* in *vita S. Petri Thomæ*; quidam huius fauoris inuidi, vel veritatis ignari, non possunt huic sacro Ordini, instar fratrum *Ioseph* quidquam pacificè loqui. Ceterum apertissimè ipsos deceptos fuisse, quantum præsentis argumenti conditio patitur, luculenter commonstrabo: vt enim rectè dixit *Aristot. lib. 1. Moralium cap. 3.* *Est enim eruditi eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius naturam potest. nam & Mathematicum suasionibus vtentem approbare, & ab Oratore demonstrationes exigere simile vitium videtur.* Vt autem præsentis muneris satisfaciam, oppugnationum tela debito ordine proponam pariter & infringam, quia tamen intet omnes oppugnatores, acrius *Hieronymus Roman.* in suo *Defensorio*, aduersus hunc sacrum Ordinem inuehitur, & quia præ intemperata cupidine illum expugnandi, nullum lapidem immotum reliquit, quo illum non impeteret, eius præcipuè deliria manifestè aperiam deinde aliorum obiecta diluam.

D. Hiero.

Primo ergo obiectat *lib. 2. cap. 8.* sibi persuadere non posse, *Eliam* fuisse monachum, aut vitæ Monasticæ institutorem, quia *D. Hieron.* in *vita S. Pauli Eremitæ*, vbi de monachatu agit, nullam profus mentionem fecit Monachorum *Eliæ*: quod non alia ratione, ait, sibi videri ab eo omissum, nisi quia nullum talis monachatus vestigium repererat. Nec veretur addere nullum dari Authorem, præter ipsos Carmelitas, qui affirmant, *Eliam* aliquem vquam Religiosum Ordinem instituisse: oportuisset quidem illum legisse *D. Hieronymum Epistolis* dicentem: *Noster Princeps Elias, noster prepositus Elisæus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula*

D. Hiero.

Epistolis dicentem: *Noster Princeps Elias, noster prepositus Elisæus, nostri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula*

macula prope fluentia Iordanis. Hos autem verè monachos fuisse Eliani instituti, testis est omni exceptione maior S. Isidor. lib. 2. de offic. cap. 15. vbi S. Isidor. ait. Vnde ad Monachos studium defluxit paupertatis, vel quis huius conuersationis extitit auctor, cuius isti habitum imitantur? quantum attinet ad authoritatem veterum scripturarum, huius propositi Princeps Elias, & discipuli eius Elisæus siue filij Prophetarum, qui habitabant in solitudine, urbibusq; relictis, faciebant sibi casulas iuxta fluentia Iordanis. Ioan. Cass. Conspirant in idem Ioan. Cassian. lib. 1. de instit. renunciantium, cap. 2. dum ait: Itaque monachum, vt militem Christi in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis, ingiter oportet incedere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri testamento professionis huius fundauere primordia, Eliam scilicet, & Elisæum, diuinarum scripturarum auctoritate monstratur. Deinde Ioannes XLIV. Patriarcha Ierosolymitanus lib. de institut. Monach. cap. 2. ita in hac parte clarè loquitur, vt absque graui proteruita, negari non possit, Eliam monastica vitæ fuisse institutorem: verba eius hæc sunt: Hic Propheta Dei Elias Monachorum Princeps primus extitit, à quo sancta eorum prima institutio sumpsit exordium: ipse enim obtentu contemplationis diuina, longe ab urbibus recedens, & seipsum cunctis terrenis exuens, religiosam, & prophetalem vitam eremiticam primus hominum à proposito ducere cepit, quam, Sancto dictante, & mandante Spiritu, inchoauit, & instituit, Postea capit. 19. subdit: Studuit Elias deinceps Religionem, quam inchoauerat, in loco idoneo plantare: quare ad sui, & suorum discipulorum iugem mansionem elegit præ alijs eremis Carmelum montem, tanquam commodiorem ad propheticam disciplinam, & vitam monasticam in eo edocendam, & exercendam. Mons quippe prabet Eremita homini ex sua solitudine silentium, & quietem, ex suis antris congruam mansionem, ex suo saltu iucunditatem, ex suo emi-

NOTA.

T

nenti

menti situ aërem salubrem, ex suis herbis, & fructibus
pastum uberem, & ex suo fonte aqua viua haustum
dulcem. Propter quæ omnia Elias in monte isto non
modo elegit habitare, verum etiam dum oratione
consecratam, appellatam Seunion in eo edificauit.

Actandem cap. 20. ait: Ad continuam autem re-
sidentiam in Carmelo semper faciendam, Elias mon-
tem hunc deuotiores suis discipulis reddidit, non so-
lum exemplo sui, qui ex tunc, quamdiu in hoc mundo
mansit, scilicet per sexdecim annos, montem istum in-
coluit, sed quia praeter ceteris eremis, in quibus habitauit,
montem hunc quibusdam magnis miraculis speciali-
ter insigniuit.

**Trithem.
Abbas.**

Trithemius Abbas in suo libro de laudibus Car-
melitarum, argumentum hoc latissimè elucidans,
apertissimè ostendit, *Eliam & Elisaum* Carmelita-
næ Religionis dedisse primordia, seriemq; Ordinis
contexit ab *Elia*, vsque ad annum Domini 1220,
quo tempore Carmelitæ in Europam peruene-
runt, omiſſis alijs, quæ sparsim toto illo libro tra-
dit, aliqua eius verba referam, ait enim cap. 2. *ELIAS*
Propheta Domini eximius rectè, & Catholicè Funda-
tor Carmelitanae Religionis dicitur, si eius facta ex
voluminibus Regum absque inuidia discutiantur.
Enim vero ipse montem Carmeli primus inhabitasse
legitur, à quo Fratres Carmelita nominantur. Tri-
plici autem ratione ostenditur, quod istius obseruan-
tia Princeps Elias habeatur, à loco videlicet, ab ha-
bitu, & conuersatione. Cum ergo nomen Ordinis à
loco sumitur, merito Carmelitarum Princeps Elias
memoratur, quia mons Carmelus, cuius ille habita-
tor extitit, huic Ordini vocabulum dedit. Non loquetur
vana, sed testimonijs Scripturarum comprobata pro-
fero, cum Eliam Prophetam eundem locum longè ante
Christi natiuitatem inhabitasse dico, qui Fratrum
Carmelitis, Religionis suæ nomen, & exordium
dedit, &c.

Martyrologium Molani die 17. Iulij, hæc habet
In

In Arabia raptus Sancti Eliæ Propheta Domini, & Martyrol.
 Carmelitanae Religionis Patriarchæ, qui tantam Molani.
 gratiam inuenit coram Domino, ut verbis clauderet,
 & aperiret calum. Hæc sanè sufficiebant, sed maio- D. Basil.
 ra his apponam, nam D. Basilus in epist. ad Chilo-
 nem Anachoretam ait; Hic mons celeberrimus Carmelus,
 in quo Elias demoratus, perplacuit Deo. D. Gregorius
 Nazianzenus in oratione de pauperum amore, sic D. Greg.
 loquitur: Præclara est solitudo, & vita ab hominum Nazian.
 commertio semota, idque nunc docet Eliæ Carmelus,
 & Ioannis desertum. Et infra subdit: Vt ab omni ne-
 gtorio tranquillè philosopharer, mecumq; ipsum collo-
 quium haberem, Eliæ Carmelum cogitabam, Ioan-
 nisq; desertum, ac celestem eorum, qui hoc philosophia
 genus profitentur, vitam.

Denique id ipsum tradunt Volaterranus in An- Volaterr.
 tropologia lib. 21. dum ait: Carmelita à monte Car-
 melo, mora Eliæ, & Elisæi nobilitato &c Guilielm. Guilielm.
 lib. 5. continuationis belli sacri c. 5. Est CARMELVS
 mons in Syria, mora tam aliorum Prophetarum, quam Polyd.
 Eliæ, & Elisæi nobilis. Polydorus, Virgilius lib. 7. Virg.
 de inuent. rerum, cap. 3. nec non Sabellicus lib. 5. Sabellic.
 Aeneidos 9. Theatrum vitæ humanæ lib. 3. volu. 21. Theat. vi-
 eadem verba repetunt de mora Elia in Carmelo, te humanæ.
 Nicephorus lib. 8. historię cap. 39. Sozomenus in Niceph.
 tripartita lib. 1. cap. 11. Galienus de orig. Monast. vi- Sozomen.
 ta, Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Monachis c. 5. Galienus.
 Canisius lib. 1. de corruptelis cap. 2. Genebrardus Bellarm.
 lib. 4. Chronolog. Cum ergo tot antiqui, & Sancti Canisius.
 Patres, ac grauissimi Auctores, vnanimi consensu Genebrard.
 testentur, Eliam monasticæ vitæ Institutorem fuis-
 se, facile innotescit temeritas Hieronymi Roman.
 qui ausus est dicere, nullum Authorem præter Car-
 melitas id vnquam tradidisse.

Tandem illud singulare silentio non prætermittam, quod sapienter, & eruditè Ioannes XLIV. Pa- Ioã. Patr.
 triarcha Ierosolymitanus libro de Institutione Mo-
 nachorum, ELIAM monasticam vitam instituisse,
 T A colli-

- Eccl. 48.** colligit ex illis verbis Eccl. 48. *Prophetas facis successores post te.* Etenim licet quidam interpretati sint hæc verba ad *Eliam* dicta fuisse, eo quod ex mandato Dei 3. Regum 19. *ELISÆVM* vnxit, & sui spiritus prophetici hæredem reliquit, germanus tamen sensus est, nomine *Prophetarum* non intelligi futura vaticinantes, sed Deum in hymnis, & canticis spiritualibus, ac musicis instrumentis laudantes, ut non obscure indicant verba illa 1. Paralipom. 25. **1. Paral. 25.** *David, & Magistratus exercitus segregauerunt in ministerium filios Asaph, & Emam & Ydithum, qui prophetarent cum cytharis, psalterijs, & cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio seruientes. & post pauca: Ydithum in cythara prophetabat super omnes consistentes, & laudantes Deum. Monachos ergo laudantes Deum, vocat successores Elia, cum ait: Prophetas facis successores post te.*

CAPVT II.

Extare vestigia, & designari locum in hoc Monte, ubi ELIAS olim sit moratus.

- Hier. Rō.** **S**ecundò, obijcit Hieronymus Roman. li. 2. c. 11. quod varia itineraria legerit, ut Martini de Aumpies, Moguntia Decani, & Arandæ Franciscani, qui copiose terram sanctam describunt, dicentes: Hic sepultus fuit Abraham, hic S. Anna, ibi situm erat Monasterium sancti Hieronymi; nunquam tamen locum signant, in quo *Elias* moratus fuerat: sed planè ad pauca illa respiciens, paralogizatus est: nam in primis Nicephorus Callistus lib. 8. historię Eccles. cap. 30. loquens de Helena loca sancta visitante, sic ait: *Deinde ad sacrum Iordanem conuersa, circa speluncam, ubi olim domicilium Baptistæ habuit, perpulchram ad eam illi erexit, aliamq; ad summitatem montis Elia Thesbitæ.* Deinde Adricomus in Theatro terræ Sanctæ, in Tribu Isachar num. 19. hæc verba habet: *In hoc monte in pede montis Orientis*

zali, ait *Author itinerarij Ghistela*, spelunca est, & fons, ubi habitauit Elias, & Elisæus, & filij Prophetarum: postea habitauerunt ibi Fratres Carmelitæ, unde & originem, & nomen habent. Et infra paucis interiectis, subdit: Ex Caipha ad leucam unam, via, qua ducit ad Castrum peregrinorum, per ascensum montis Carmeli, ferè dimidia leuca, est spelunca Elia, in qua &c. Illic etiam est fons, ubi Prophetarum filij habitabant, nunc autem inhabitant Fratres Ordinis Carmelitarum, fuitq; cum eis ibidem.

CAPVT III.

Habuisse ELIAM discipulos siue Congregationem monachorum sibi subditorum.

Tertio, obijcit Hieronymus Roman. *libr. 2. cap. 9.* manifestum esse, Eliam non habuisse Congregationem aliquorum discipulorum, cum nunquam habuerit, nisi solum duos, nimirum Elisæum, & Ionam Prophetam, filium viduæ Sareptanæ, imò inferius factum affirmat, hunc Ionam discipulum eius fuisse: sed pugnat cum S. Epiphano, qui loquens de Abdia in vita eius, affirmat discipulum Elia fuisse dicens: *Hic est Vates, qui ter semicenturionem egit, cuique paruit Elias Thesbytes: post hæc Regia ordinationis desertor adhesit diuinatori Elia, & factus est discipulus eius.* Pugnat etiam cum S. Dorotheo in Synopsi Prophet. ubi de Abdia sermonem instituens, ait: *Iste Abdias erat de terra Sichem: fuit discipulus Elia.* Pugnat cum Ioanne XLIV. Patriarcha Ierosolymitano de institutione Monachorum *cap. 23.* hæc scribente: *Priusquam Elias ab hoc mundo transferretur, fuit ei cura, Monachos discipulos suos filios Prophetarum sigillatim visitare, & de patre idoneo eis prouidere, propter quod descendentes ipse, & Elisæus de monte Carmelo, venerunt ambo in Galgala, deinde in Bethel, & inde in Iericho, Nam sicut prædiximus,*

Hier. Rō.

S. Epiph.

S. Dorothe.

Ioan. 44.

Patri. Hier.

in his locis habitabant viri Religiosi, Filij Prophetarum, ELIÆ discipuli, quos ipse visitans &c.

CAPVT IV.

Monachalis vita Institutum olim non indignisse speciali approbatione summi Pontificis.

Hier. Rō.

Quartò, obijcit *cap. 8.* Hieronymus Romanus in monte Carmelo non fuisse Religiosos aliquos Ordinis Carmelitarum, sed solitarios quosdam, qui nulla ratione Monachi erant, cum non viuerent sub disciplina alicuius Religionis approbatæ: hoc sanè puerile cauillum est, cum constet, institutum Monasticum ante Concilium Lateranense non indignisse speciali summi Pontificis approbatione, sed suffecisse illam, qua ipsi Pontifices, atque Sacra Concilia monachismum approbant. Hinc nemo facile ostenderit, ante *Innocentium III.* institutum sancti *Antonij, Basilij, Hieronymi, Benedicti*, atque aliorum antiquorum ab vilo Pontifice specialem obtinuisse approbationem; At verò cum quidam, amantes quæ sua sunt, & non quæ IESV Christi, hac indulgentia abuterentur, prouidentibus dicto *Innocentio cap. finali de religiosis domibus*, & *Gregorio X. cap. vnico de religiosis domibus*, in 6. cœpit esse necessarium, quod antea erit liberum,

Innocent.
cap. fin.Gregor. X.
c. vnico.
de relig.
domibus.

CAPVT V.

Religionem Carmeliticam non traxisse originem ex Regulis longe posterioribus, Basilij, Augustini, aut Benedicti, sed ab ipso ELIA ac perseverare in hodiernum diem, luculentis auctoritatis probatur.

Hier. Rō.

Quintò, deinde idem Hieronymus Romanus *libr. 6.* quem vocat de *Republ. cap. 10.* ait Religionem Carmelitarum non habuisse pri-

primordia ab *Elia*, & eius successoribus in monte Carmelo, sed anno 796. tempore Papæ Leonis III. accepisse quandam regulam ex approbatis ab Ecclesia, Basilij scilicet, Augustini, aut Benedicti: capit. vero & supracitato, sui defensorij ad magis expugnandam antiquitatem huius sacræ Religionis, subiungit in nullo Concilio eorum, quæ in Græcia celebrata fuere, mentionem aliquam fieri Carmelitarum cum alioquin non semel mentio fiat monachorum Syriæ, Hierosolymæ, & Græciæ; sed & in hoc etiam, sicut in reliquis mendacissimè loquitur: nam præter quam quòd argumentum ab authoritate negatiua nullius roboris est, certe in Concilio Constantinopolitano varij Prælati huius Ordinis conuenerunt, quorum in eadem Synodo fit mentio, & nominatim Prioris Montis Carmeli, vnde in subscriptionibus illorum Patrum specialiter habentur hæc duæ: prima: THEOTISTVS Dei Theosistæ misericordia presbyter, & Prior monasterij sanctæ, & gloriose Dei genitricis semper Virginis MARIÆ. Constat autem tunc in Palæstina, nullum templum sacrum fuisse, nisi B. Virgini de Monte Carmelo; vnde in secunda subscriptione hæc verba habentur: SYLLAS Dei misericordia presbyter, & Prior monasterij ELIÆ.

Cæterum, vt clarius innotescat delirium huius hominis, & omnium, qui eius sententiæ adhærent, apertissimè commonstrabo institutam ab *Elia* Religionem, vsque ad nostra tempora perdurare sub tutela B. MARIÆ Virginis de monte Carmelo, quam Ordo Carmelitarum, qui nunc mirificè viget in Ecclesia, profitetur: id in primis probat testimonium D. Cyrilli Ordinis Carmelitarum viri sanctissimi, qui in libro de peculiaribus gestis Ordinis Carmelitarum cap. 7. & 8. & in epist. ad Eusebium, Eremitarum montis Neroi Priorem, ex professo hoc docet inquit: Illo itaque tempore quamuis pauci, veruntamen probatissimi Monachi vestre Religionis,

ligionis, dimissis mansionibus, quas habebant in urbibus, & villis, hunc Carmelum montem non deserentes, iugiter in eo, & quibusdam alijs Eremis terræ sanctæ permanserunt sub disciplina monastica vitæ Eremiticæ per Eliam Prophetam instituta.

Trith.
Abb.

Secundo adest testimonium Abbatis Trithemij in hoc genere argumenti diligentissimi historiographi: hic enim de laudibus Carmelitarum, cap. 2. hæc scribit: *Consentit ergo nomen loci, ut Elias sit Fundator Ordinis Carmelitici. Vnde non sunt vituperandi fratres huius sacratæ Religionis, quod ELIAM, & Filios Prophetarum sui Ordinis fundatores, &*

Idem Trith.

Principes assueverunt. Idem etiam Trithemius cap. 3. inquit: Isti sunt viri fortes atque prudentes, qui Monastica conversationis fundamenta iecerunt, qui post ELIAM, montem Carmelum inhabitantes, se habitu, & conversatione Deo dignos exhibuerunt, ab his Ordo Carmelitarum initium sumpsit, & vocabulum: ipsi enim Ordinis Carmelitici conversationem legis tempore seruauerunt, à quibus nostri Carmelita sub gratia, & nomen acceperunt, & Ordinem.

Idem.

Idem similiter Trithemius de laudibus Carmelitarum cap. 2. ait: *A tempore siquidem Eliæ, & Elisæi Prophetarum Dei, vsque ad Christi Natiuitatem, plures montem Carmelum amore solitudinis incoluerunt, sicut ex veterum historijs aperte demonstratur. Nam post passionem Domini, prædicantibus fidem Apostolis, inter multos, qui tunc conuertebantur, etiam Carmeli montis Eremitæ conuersi sunt, qui deinde crescente numero fidelium, in Carmeli montis latere, in honorem Dei genitricis, & Virginis MARIÆ, capellam extruxerunt. Vnde & vocabulum loci, & Religionis recipere meruerunt. Nec mireris, si Monachos etiam ante Christi Natiuitatem, in Israel fuisse dixerim, qui montem Carmelum, & desertæ solitudinis inhabitauerunt, &c.*

Ioseph.

Antioch.

Tertiò, extat testimonium Iosephi Antiocheni in speculo perfectæ militiæ Ecclesiæ primitiuarum cap. 12.

cap. 12. vbi inquit; *Perfectorum militum Christi*, id est, *Apostolorum*, *coadiutores surrexerunt strenuissimi viri solitarij, contemplationiq; dediti, sanctorum Prophetarum Eliae, & Elisæi imitatores, qui de monte Carmelo descendentes per Galilæam, Samariam, & Palestinam, fidem Christi constantissimè sparserunt: quique in Virginis MARIÆ honorem in Carmeli montis decliuo oratorium fabricantes, Saluatoris Matri, specialissimè seruiuerunt.*

Quartò, produco testimonium Erardi Carthusiensis, qui in fasciculo temporum, in descriptione *Carthus.* anni 1294. sic ait: *Nobilissima ciuitas Aconensis à Saracenis destruitur, ac demum Deipara Virg. MARIÆ in Carmelo monasterium, ad quatuor milliaria ciuitati vicinum, ab eis igne crematur, fratribus in eo degentibus, perfidorum gladijs trucidatis. Et tunc (proh dolor!) Ordo Carmelitarum mellisuum locum ex toto perdidit, in quo ab Eliae, & Elisæi Prophetarum tempore duobus millibus, ducentis & viginti vno annis perstiterant. Idem anno 4300. à creatione* *Idem.* *Mundi ante Christi ortum annis 923, sic ait: ELIAS Propheta, Auriga Israel, & origo Religionis Carmelitana, Elisæo viuente rapitur. Idem circa annum Domini 450. ita loquutus est: ELISÆI Propheta, Carmelitana Religionis primi post Eliam Patris, & patre (Sigiberto Genimblacense teste,) ossa transfere-* *Sigibert.* *runtur de Samaria in Palestinam.*

Quintò accedit Thomæ Waldensis testimonium, *Thom.* cuius authoritas, & doctrina apud Catholicos viros *Wald.* laudatur, & ab hæreticis valde timetur: hic scribens aduersus suæ ætatis fidei oppugnatores, præcipuè aduersus Wicleph, de sacramentalibus, *titul. 9. cap. 89.* latè ostendit Carmelitas ab *Elia*, & *Elisæo* institutos, à quibus monasticam professionem emanasse, probat; atque aded eandem esse hanc Religionem Carmelitarum cum illa, quæ incepit in monte Carmelo ab *Elia*.

Sextò, extant litteræ Episcoporum terræ sanctæ,

- Littera Episc. terra sancte.* Illustrissimi Roderici Nichosientis Archiepiscopi, Gregorij Episcopi Ebronensis, venerab. Patris Domini Patriarchæ Hierosolymitani Vicarij, Guilielmi Tyberiadensis Episcopi, ad Papam Bonifacium VIII. ex Accone, anno Domini 1282. die 23. Mensis Septembris datæ: similiter Fratris Nicolai Lorgini Magistri domus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, & Guilielmi de bello loco Magistri militum templi ad eundem Pontificem anno Domini 1283. 12. Mensis Iulij, quibus ex certa scientia declarant: Ordinem Carmelitarum in terra sancta, siue Palæstina extitisse, à tempore cuius non extat memoria, vt latius videre est apud Thomam Waldens. tom. 3. titul. 9. cap. 89. de sacramentalibus, vbi istius Ordinis Fundatorem, & Patriarcham esse sanctum Prophetam Eliam, aduersus obtrectatores præcipuè Wicleph defendit. Præter hæc iam olim anno Domini 1374. indict. 13. Pontificat. Gregorij XI. Ioanne de Donneluico celeberrimæ olim vniuersitatis Cantabrigiensis Cancellario, & præsentibus aliorum Ordinum Doctoribus, Rogero de Falestey Ordinis Eremitarum S. Augustini, Ioanne Barnebach Ordinis fratrum Minorum, & alijs multis artium, Iuris, & sacræ Theologiæ Magistris, ac Doctoribus, prout in litteris eiusdem Cancellarij, atque Notarij, publico instrumento ea de re confecto, latius continetur; celebre decretum editum fuit in fauorem huius veritatis: cum enim tempore Greg. XI. Ordinis Aduersarij, eius antiquitati detraherent, iriderentque Carmelitas veros Eliæ successores appellari, visis ac examinatis eorum aduersariorumq; rationibus, academia vniuersa decreuit Carmelitas, non solum Eliæ, & Elisei imitatores, sed potius veros, ac legitimos successores eius fore appellandos; & quamuis academia decretum Gregorius XI. confirmauerit, impijssimus tamen hæreticus Wicleph aduersariorum factionem denuo excitauit, & contra Carmelitanum Ordinem,

nem,

nem, eiusque antiquitatem inuehi cœpit, sed contra illum eius verba referens insurrexit Waldensis *Waldens.*
 in lib. de sacramentalibus, *titul. 9. cap. 89.* probans Carmelitici Ordinis antiquitatem, hereditariamque ab *Elia* successionem, cuius opera postea fuerunt a probata à *Martino V.* qui ex decreto Cardinalium in Bulla, quæ incipit: *Placuit nobis*, illa confirmauit.

Mart. V.

Septimò, accedit Richardus Armachanus Archiepiscopus Hibernus, qui in quodam sermone, habito in festo conceptionis B. *MARIÆ*, Avinionis coram conclauis Cardinalium, cuius initium est: *Aue MARIA*, præmissis alijs, sic inquit: *Quoniam, ut dicunt fide digna historia, à tempore Eliæ, & Eliæ prophetarum, qui sepius morabantur in Carmelo, iuxta ciuitatem Domina nostra Nazareth, ad tria milliaria, secretius solebant homines inhabitare deuoti vsque ad tempora Saluatoris, & tunc Eremitæ, scilicet Carmelitæ, prædicantibus Apostolis, in fide solidati, in latere vno montis ipsius Ecclesiam primo construxerunt, in honorem B. *MARIÆ* Virginis illo in loco, in quo didicerant, ipsam cum alijs sodalibus virginibus in vita sua sepius moram traxisse, & ob hoc nimirum inter alios Religiosos Domina nostra, sunt adscripti, ut vocarentur Fratres B. *MARIÆ* de monte Carmelo, qui insuper in principio nascentis Ecclesie, in partibus illis prædicando Euangelium, solidissimè laborarunt. Igitur gaudet præ cæteris Ordinibus, antiquitatis honore.* Hactenus ille. Hoc testimonium iisdem verbis refert Magister Horubius Anglicus, & Paleonydor, *cap. 1. primi libri, Waldensis de sacramentalibus titul. 9. cap. 8.* & Nauarrus de *horis Canon. cap. 21. num. 27.* Illud verò in hoc Armachani testimonio notatione dignum est illum non ex suo Marte, ut de tanto viro credi debet, aut ex apocriphis, minusque veris historijs, sed ex fide dignis id sumpsisse.

*Richard. Armach.**Horubius
Magister
Anglicus.
Paleonyd.
Waldens.
Nauarr.*

Octauò, Clithoueus Theologus insignis in ser- *Clithoue.*
 mone

mone habito in comitijs Prouincialibus Carmelitarum, qui habetur inter conciones Sanctorum, ab iplo editas, paulò post initium ita ait: *Animaduertere non est indignum, Carmelitani Ordinis exordium, ob tria præcipuè excellentiam quandam habere. Primò, quia ante institutionem præcognitum est diuino nutu, & reuelatum: memoria enim proditum est, vt scholastica refert historia, Eliam Thesbytem de tribu Aaron progenitum, primum Religionis huius fuisse authorem, & infra: At hi, qui primam Carmelitano Ordini præstiterunt originem, vt Elias, & Elisæus, ex Iudæis nati sunt, qui verò cæteris Religiosis iecerunt fundamenta, ex gentibus progeniti sunt; Constat itaque antiquiorem Carmelitana Religionis, quàm aliorum Ordinum esse originem, & ratione exordij, cæteris præstare. Hæc Clithoueus.*

Philip.

Hieropol.

Nonò id confirmat Philippus Hieropolitanus Abbas apud Paleonydorum *lib. 1. c. 1.* vbi de antiquitate Ordinis Carmelitani his verbis differit: *O Carmelitarum Religio, quàm magna facta es in domo Domini: Nunquid olim à modico fonte Eliæ Dei Prophetæ principium habuisti? & ecce nunc in magnum fluuium creuisti: tu olim plantata in eremo, nunc facta es ciuitas plena populo; tu Fundatorem habes adhuc in Paradiso viuentem, & gloriosam Virginem MARIAM Reginam Cæli, Dominam mundi in patronam singularem: sicut enim de te olim præcesserunt Patriarchæ, & Prophetæ, sic nunc de te procedunt Sacerdotes, & Leuitæ, Doctores, & Euangelistæ, qui Patres & Patroni omnium Religiosorum facti sunt. Hæc ille.*

Genebrar. testimon.

Decimò, testimonium affero Genebrardi nostri temporis diligentissimi Historiographi, qui, vt doceat Carmelitas ab *Eliæ* Prophetæ initium sumpsisse, reiicit Polydori sententiam, qui *Aymerici* tempore censebat, Ordinem hunc incepisse, verba Genebrardi referam: *Ordo Carmelitarum, (qui tunc variegata clamye induebatur,) initium habuit*
in de.

in desertis Syria, Aymerici Antiocheni Antistitis opera, (vt refert Polydorus Vergilius lib. 7. de inuent. rerum c. 3.) sed eorum origo altius repetenda est: nempe à Prophetis Elia, & Elisæo, qui Carmelum montem terra sancta primi consecrarunt, & discipulos ibi reliquerunt, quos Scriptura Filios Prophetarum appellat: in Europam postea eum adduxit Albert. Patriarcha Hierosolymitanus, Primi sunt Mendicantium. Haftenus ille. Cuius viri quanta sit in conscribendis historijs authoritas, apud omnes præcipuè viros doctos, ita notum est, vt eius testimonio securè possimus acquiescere.

Ne autem in recensendis Doctorum testimonijs prolixior videar, quam par est, contentus ero Doctorum nomina solum indicare. Hi sunt; S. Petrus Thomasius, B. Ioannes Soreth, Michael, & Gerardus de Bononia. Ioannes de Baccone, Tho. Beauxamis, de Carmelitis agentes. Rodulph. in ferm. de concept. B. Virg. quem habuit in conuentu Auenionensi coram venerabili cœtu S. R. E. Cardinalium, Wernerus Rouelinck Carthus. in fasciculo temporum, qui extat inter antiquitates Germaniæ, Carol. Fernandus, & Ioan. Trithem. vterque distincto libr. de laud. Carmelitarum, Gulielmus Eysengreinersis centuria 1. tract. de cœlibatu, & Monachis, Abbas Vercellensis in comment. suo ad 7. cap. Cant. Cantorum, Philippus Abbas Hieropolit. ad illa verba Ioan. 1. Miserrunt Iudæi, Ferdinandus de Castillo histor. suæ Dominicanæ part. 1. libr. 2. cap. 65. Ioan. 1. Indocus Badius in Parthen. 1. libr. 2. Mantuani, Cliethoueus in orat. ad Carmelitas adducens suffragatores Iosephum Antiochenum, Ioannem Hierosolymitanum, & historiam scholasticam, Gulielmus Badius Postellus lib. de vniuersitate titul. de Syria, Ioannes Molanus in Martyrologio, partim ad diem 17. Iunij, vocans Eliam Carmelitanum Patriarcham, partim ad diem 17. Octobr. adscribens Eutyrium, qui tertio Christi sæculo, aut (vt alij distingunt) quarto,

S. Petrus
Thomas.
B. Ioan.
Soreth.
Michael,
& Gerard.
de Bonon.
Ioan. de
Baccone.
Tho. Beauxamis.
Richard.
Rodulph.
Wernerus
Rouelinck
Carthus.
Carol.
Fernand.
Ioan. Trith.
Gulielm.
Eysengrei.
Abb. Verc.
Phil. Abb.
Hierop.
Ioan. 1.
Ferdinad.
de Castillo.
Indocus
Badius.
Ioannes
Cliethou.
Gulielm.
Postellus.
Ioan. molan.

quarto,

quarto, floruit magnæ sanctitatis virum Ordini
Paul. Morigia Carmelitano, similiter ad 12. Ianuarij, *Ioannem*
Ord. Hierosolymitanum, *Paulus Morigia* Ordinis Iesu-
Iesuatur. suatorum de origine Religionum cap. 30. *Ioannes*
Ioã. Bonif. *Bonifacius* historię virginalis lib. 2. cap. 1. *Baptista*
Baptist. à à Glano Ordinis sancti Augustini in historia Ponti-
Gla. Ord. ficali in vita *Desusdedit*, huius nominis primi, ad an-
S. August. num 615. & in *Honorio III.* ad annum 1216. *Ioannes*
Ioã. Bapt. *Baptista Confertius* Florentinus in sumuario pri-
Confertius uilegiorum Fratrum Mendicantium, & alij inu-
Florentin. meri.

Vndecimò : eandem veritatem constabiliunt
Sixt. IV. Summorum Pontificum oracula. Etenim *Sixtus IV.*
 in bulla, quæ incipit: *Dum attenta meditatione pen-*
samus. Data Romæ anno 1477. sic ait: (*Ordinem*
ipsum, ac illius personas, sub Sedis Apostolica, & Ec-
clesia Romana protectione immediatè existentes, &
inter ceteros Regularium Ordinum professores in fir-
mamento Catholica fidei militantes, tanquam Reli-
gionis speculum, & exemplar, speciali charitate ful-
gentes, sanctorumq; Prophetarum ELIÆ, ELISÆI, &
aliorum sanctorum PATRVM, qui montem sanctum
CARMELI iuxta Elia fontem inhabitauerunt, succes-
sionem hereditariam tenentes: fructus quoque &c.)
Ioã. XXII. Haftenus *Sixtus IV.* ferè idem repetunt *Ioan-*
Iulius III. *Iulius III.* *Pius V.* *Gregor. XIII.* *Sixtus V.*
Pius V. Pontifices Maximi, qui in Bullis, Ordini Carmeli-
Greg. XIII tano concessis, eodem ferè verborum tenore vtun-
Sixtus V. tur, imò & nouissimè *Clemens VIII.* in Bulla, quæ
Clẽ. VIII. nouæ Discalceatorum Reformationis constitutio-
 nes confirmavit, successionem hanc hæreditariam
 ab *Elia* Propheta eos habere declaravit, vt videre
 est in initio illarum Constitutionum; quamuis au-
 tem prædictorum Pontificum testimonia non id
 tradant, tanquam tem fide diuina credendam; intra
 limites tamen humani testimonij nullum maius
 aut firmitus proferri potest, quam tot Summorum
 Pontificum testificatio.

Duode-

Duodecimò, insignis Poëtæ Mantuani testimonium in Æglogis appono; præclara ille hæc cecinit carmina, quibus specialia, ac varia Carmelitici Ordinis præconia complexus est.

Bembe genus nostrum, generisque exordia dicam,
Venimus Assyrijs (vt Candidus inquit) ab oris.
Est pater ELIAS nobis, qui sustulit armis
Pastorum genus omne malum, qui traxit Olympo
Flammigeros ignes, qui ascendit in æthera curru
Pastores alij, quotquot per rura vagantur
Omnia, sunt riui nostris à fontibus orti,
Nos dedimus leges, pascendi ostendimus artem:
Nos radix, alij rami, sed nos quoque rami
A veteri radice patrum, iam ætate caduci,
Tradidit Elias certam pastoribus artem, &c.

Idem auctor lib. 3, Parthen. Marian. hæc subdit:
Mons Patrum pietate sacer, lateque priorum
Inclutus hospitio vatuum: nam dicitur illinc
Discipulo ambustam iaciens ex aëre vestem,
Elias ardenti cœlum petiisse volatu.
Illinc perpetuis, ceu missi è fontibus amnes
Relligio, & sacri fluxit reuerentia cultus.
Quicquid habent alij montes pietatis ab isto
Ducitur: hæc vna plures è vite racemi
Diffusi late terras, atque æquora complent.
Hinc Carthusiacis æterna silentia claustris,
Hinc varias Benedictus oues collegit: ab isto
Canabe nodosa tunicas arcere fluentes
Lignipedes didicere viri, quique arua colebant,
Inuia, & assiduo terras ardore calentes:
Et quos Cyriacus de littore vexit Ibero,
Hinc orti, sanctum & summo genus æthere dignum,
Hinc nostri venere PATRES, habitacula montis
Culmen adhuc seruat, toto apparentia ponto,
Qua nostri posuere Atani, modo possidet hostis
Barbarus, expulsa solem petiere cadentem
Arctosque domos, & gentis Regna latina
Reliquia antiqui Generis, VATVMque propago.

Acce =

*Ioan. Iu-
stinianus.
Daniel
Propheta
apparet
Carmeli-
tico indn-
tus ha-
bitu.*

Accedit quod *Ioan. Iustinianus* Ordinis Prædicatorum ex Chronicis Tolosanis, refert cuidam Episcopo Carmelitano dubitanti, an liceret celebrare festum cuiusdam honestæ fœminæ, nomine Susanna, apparuit ei *Daniel* Propheta, qui certum illum reddidit de Susannæ sanctitate; postea vero Episcopus interrogavit ipsum *Danielem*, qua ratione appareat Carmelitico habitu indutus, & ille respondit hæc verba: *Omnes ferè Propheta huius Religionis, filij fuimus à tempore Samuelis.*

D. Hiero.

Vltimò idipsum ostendo ex varijs rationibus, quas nemo absque temeritate inficiari poterit. Etenim, vt refert *D. Hieronymus* in epistola ad Paulinum: *Habet vnumquodq; propositum, siue institutum Principes suos.* id quod præter exempla, quibus idem confirmat, satis vtique omnibus exploratum est, nullam esse Religionem, quæ non recognoscat aliquem auctorem, à quo primordia sua acceperit: *Carthusiensis S. Brunonem, Benedictina S. Benedictum, Dominicana, & Franciscana Patriarchas suos Dominicum & Franciscum recognoscit.* At vniuersa Religio Carmelitarum semper venerata est *Eliam*, tanquam primum suum institutorem, nec aliquem alium primum Patronum vnquam coluit, quam *Eliam*, pœneq; innumeri Auctores tam vetusti, quam recentiores, nec non Summi Pontifices in suis Apostolicis Bullis id ingenuè profitentur & acceptant: ergo nemo, nisi cum ratione ipsa pugnare velit, id negare poterit.

Rursum antiquus mos inoleuit, sæpè Religiones appellationem desumere à loco, in quo ortum habuere, & in quo earum institutum primitus fuit obseruatum, & in reliquas mundi plagas deriuatum: etenim Ordo *Cluniacensis* à Cluniaco, *Cisterciensi* à Cistercio, *Carthusiensium* à Carthusio, & ordo *Hospitaliorum* ab hospitali Hierosolymæ fundato, nomenclaturam suam mutuarunt; Cum ergo sacra hæc Religio Carmelitana nuncupetur, manifestum

festum est hanc appellationem non aliunde ei conuenire, nisi quia in monte *Carmelo* habuit initium & ortum suum, & ab illo in reliquas partes fuit deriuata. Deinde auctores, qui *Albertum* Patriarcham Hierosolymitam, primum Carmelatici Ordinis fundatorem esse volunt, ipsimet fatentur *Albertum* tantum Ordinem iam probè labentem, sua Regula crexisse; qui vero ab *Aymerico* Ordinis primordium computant ipsi etiam liberè concedunt *Aymericum* tempore *Alexandri III.* Carmelitas per *Carmeli* saltus dispersos in vnum congregasse, ad commodioremq; viuendi formam redexisse; qui verò à *Ioanne Hierosolymitano* circa annum Domini 400. Regulam accepisse docent, ipsi quoque admittunt, *Ioannem Hierosolymitanum*, antequam Regulam Carmelitis traderet, eorum conuersationem institutumq; fuisse amplexatum. Alij tandem, qui Carmelatici Ordinis initia ad Apostolorum tempora referunt, nullum certum auctorem designant, neque explicant, quando & quomodo id contigerit.

Ad hæc si *B. Virgo* reuelauit *S. Petro Thoma*, vt *In vita S. Petr. Thomæ.* in eius vita legitur *Ordinem Fratrum de monte Carmelo duraturum vsque in diem iudicij*; manifestum est, hoc non posse verificari de alia Religione, quam de ea, quæ nunc nuncupatur, *S. Mariæ de monte Carmelo*. Accedit, quod extat Apostolicæ sedis decretum cum Cardinalium consilio à *Sixto V. Apost. Decret. Sixt. V.* editum, in quo cautum est, vt Carmelitarum Religio, *ELIAM, & ELISÆVM*, sui instituti Patronos colat, & in eorum memoriam dies festos celebret, & propria eorum officia recitet; inter alia autem, quæ in *Elia* festiuitate & officio, per sedem Apostolicam approbato decantantur ille insonat hymnus,

*Hic sacri est ductor, columen, decusque
Ordinis nostri, superisque gratus;
O Pater salue placidusque tuos
Excipe Alumnos.*

V

Fit

Fit etiam de eodem *Elia* in toto Ordine Carmelitarum commemoratio, quæ soli Patrono, ac Ordinis Auctori debetur; de ipso præterea Missæ sacrificium tanquam patrono celebratur; quis autem nisi temerè dicat Pontificem errare in approbando pro patrono, & Fundatore alicuius Religionis, qui reuera nec Fundator, nec Patronus vquam extitit. Certè vniuersa nostra Hispania, non alio grauiori innixa fundamento, proficitur Apostolum *Iacobum* terram eius calcasse, quam quos Romani Pontifices speciali officio, in quo aduentus eius in Hispaniam mentio fit, illum colendi facultatem Hispanis præbet. Atque hinc est quod *Molanus* in suo Martyrologio die 17. Iulij, quod ex alijs Martyrologijs concinnauit, hæc verba scripserit: *In Arabia raptus sancti ELIÆ Propheta Domini, & Carmelitana Religionis PATRIARCHÆ, qui tantam gratiam inuenit coram Domino, ut verbis clauderet, & aperiret Calum.* Nec quidquam refert dicere nonnulla ex his non in alia auctoritate fundari, quam in testimonio ipsorum Carmelitarum; nam certè 14. quæst. 2. cap. super prudent. habetur monachos posse testificari in causa sui monasterij, cuius rationem reddens textus, ait: *Quia illi potissimum in testes sunt assumendi, qui eadem negotia tractauerunt.* Maxime quod cum de hac antiquitate sit immemorialis traditio in tota Carmelitarum Religione prudenter standum est tali traditioni, vt ratio ipsa præscribit; nam si cum quis possidet rem aliquam, bona dumtaxat fide per triennium, perpetuo gaudet præsidio, vt habetur 16. quæst. 6. cap. prescriptionum, multo rationabilius Religio habens traditionem à prædecessoribus suis permultos annos de antiquitate fundationis illius præsidio talis antiquitatis debet gaudere.

Consultò missa facio omnia, quæ in probationem eiusdem veritatis adducere potuissim ex

Molanus.

Cap. sup. prudent.

Cap. prescript.

Ioanne XLIV. Patriarch. Hierosol. libr. de institut.
 monach. cap. 28. sufficiat referre hunc eius titulum:
Monachi Carmelita Christiani eiusdem Religionis
sunt, cum monachis in veteri lege ab ELIA in CAR-
MELO institutis. Atque ex his omnibus colligo falsò
 nonnullos recentiores Carmelitici Ordinis anti-
 quitatem oppugnantes, afferuisse *Aymericum* Pa-
 triarcham Antiochenum fuisse primum eius Fun-
 datorem, & Institutorem, cum tamen reuera non
 fuerit, nisi quidam Reformator, & Restitutor, ut
 his verbis dixit Onuphrius Panuinus in *Chronico* *Onuph.*
Ecclesiastico circa annum 1141. *Ordo Carmelitarum* *Panuin.*
restitutus, & reformatus ab Aymerico Malofayda
Patriarch. Antioch. & sedis Apostolica Legato. Non
 solum autem Onuphrius, sed & alij etiam graues
 Doctores id ipsum tradidère, hi sunt, Polydorus *Polydorus*
Verg. de inuent. rerum lib. 7. c. 3. Sabellicus *libr. 6. Verg.*
Aeneade 9. Genebrardus *libr. 4. sua chron. circa* *Sabell.*
 annum 1180. Guilielmus Episcopus Tyri, in conti- *Genebrar.*
 nuatione belli sacri *lib. 5. cap. 2.* Author Theatri vi- *Guilielm.*
 tae humanae *volum. 21. libr. 3. fol. 1141.* Paulus Mo- *Episc.*
 rigia de origine Religionum *lib. 1. cap. 30.* Ferdi- *Author*
 nandus à Castello *1. part. lib. 2. c. 65.* Sed extat anti- *Theat. vi-*
 quius, & solidius huius veritatis fundamentum ex *ta humã.*
D. Cyrillo desumptum in epist. ad Abbatem Ioachim, *Paul.*
 ubi ait: *Erat autem in diebus illis Patriarcha An-* *Morigia.*
tiochenus, & in terra sancta Apostolica sedis Legatus, *Ferdinan.*
vir quidam amabilis Deo, & hominibus, nomine de Castell.
Aymericus Malofayda, natione Gallus, Lemouicen- *D. Cyril.*
sis, de villa appellata Salarumiacum, qui praedictorum
antecessorum nostrorum Eremitarum Fratrum Bea-
tæ MARIÆ de monte Carmelo, laudabilem con-
uersationem attendens, eos multum specialiter suo
tempore in Domino enutriuit: intelligens autem,
quosdam eorum, qui ex Occidente superuenerant,
spretis Seniorum monitis, non rectè ambulare ad ve-
ritatem religiosa vitæ Eremitica, in praedicto Ioannis
libro descripta, & perpendens, hoc ideo maximè con-
 V 2 *tingere.*

D. Bern.

tingere, quia Græcas litteras ignorantes, nesciebant
codicem illum legere, fecit librum illum de Græco
Latinum transferri. Hæc D. Cyrillus. Audiant ergo
quibus Carmelitici Ordinis mira antiquitas exoli
est: audiant: inquam, velint, nolint D. Bernardus
in Epistola ad Fratres de monte Dei, ubi ait: *Quor-
dam esse, qui cum manifestum lumen veritatis obui-
bilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauilan-
tur, veteres ipsi, & in veteri mente nescientes nouum
meditari, vitres veteres, non capientes vinum nouum
& paucis interiectis. Sileant ergo, qui in tenebra-
rum iudicantes, vos arguant nouitatis ex abundantia
mala voluntatis, potius arguenda vetustatis, & no-
uitatis.*

CAPVT VI.

*Refutatur Illustrissimi Cardinalis Baronij assertio
istoritas, quasi prima fundamenta monastici in-
stituti, Magno Antonio Ægyptio
adscribentis.*

BARON.

Sextò non possum prætermittere, quæ adue-
sus Carmelitarum antiquitatem Illustrissimus
Card. Baronius, insignis huius temporis Hi-
storiographus tradit. Etenim ille in suis Annalibus
ad annum 328. primas monachatus tribuendas esse
arbitratur magno Antonio, tanquam primo cenob-
iticæ vitæ institutori: quod sanè si verum esset, ne-
vitiqum Religio Carmelitana tantam sibi antiqui-
tatem arrogare posset, vt ab *Elia* illam ducere præ-
sumat, reuera tamen antiquorum Doctorum con-
tentia contrarium fert, quos supra retuli, dum alle-
runt, *Eliam* non tantum monachum fuisse, sed &
diuino inspirante spiritu, ad eò firma iecisse vitæ
istius monasticæ fundamenta, vt nulla vnquam
temporis iniuria interciderit, sed in Carmelitis
eius gratiæ & loci hæredibus, Deo conseruante,
vsque in præsentem diem sit continuata, præterim
tamea

NOTA.

tamen id docent *Tritheimius* de laudibus Carmelitarum, *Waldensis* de sacramentalibus tomo 3. *Ioannes XLIV.* Hierosolym. libro de instit. Monachorum per totum, *Iosephus Antiochenus* in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ lib. 12. c. 72. *Chronica Romana* apud Paleonydorum lib. 1. cap. 6. cum alijs pœne innumeris, à me supra relatis. Deinde manifestum est ante Antonium, plures fuisse monachos in Ecclesia: etenim Antonius floruit anno 310. & tamen quinquaginta retro annis D. Damasus in vita S. Dionysij affirmat illum fuisse monachum. Idem tradit Genebrardus anno 267. imo & ipse Baronius tomo 2. anno 201. Fuit autem hic Dionysius primus, qui ex monachis assumptus in summum Pontificem: electus anno 261. ut tradit Eusebius in Chronicis; qui & affirmat, eisdem temporibus non paucos cœnobitas in dispersis caavernis, & speluncis terræ, ob tyrannorum persecutionem latuisse. Inter opera præterea D. Dionysij Areopagitæ, qui floruit tempore Apostolorum, epistolam legimus ad Demophilum monachum, & in libro Eccles. Hierarch. ipse ex professo explicat formam, & modum, observari solitum in habitu religioso tradendo, & ad professionem acceptando in cœnobijs. Cassianus item collatione 18. cap. 5. & in prologo ad Castor. nec non Genebrard. libr. 3. circa annum Christi 139. affirmant, à tempore primitivæ Ecclesiæ fuisse varia monasteria cœnobitarum, qui in communitate vivebant, quæ & durarunt vsque ad tempora SS. Antonij & Pauli: vnde Divus Athanasius in vita S. Antonij refert, ipsum Antonium postulasse à sene quodam ex illis monasterijs, ut eum sub eius disciplina docendum reciperet. Divum autem Athanasium verè esse auctorem huius libri, ambigendum non est, cum id expressè contestentur D. Hieronymus de viris illustribus in vita Antonij & Athanasij. D. Gregorius Nazianzenus in Athanasium, D. Augustinus lib. 8. confessionum, c. 6. & Ruffi-

Tritheim.
Waldens.
Ioã. XLIV.

D. Damasus.

Baron.

Euseb.

Dionys. Areopag.

Cassian.
Genebrard.

D. Athan.

D. Hieron.

D. Greg.

D. Aug.

Ruffin.

& Ruffinus *lib. 1. historiarum cap. 8.* Accedit his, quod D. Hieronymus in *vita S. Eugenia* prima part. in vitis Patrum, & quotquot vitam illius narrant, affirmant, habitu virili indutam, monasterium cœnobarum ingressam fuisse prope Alexandriam:

Baron.

iuxta autem computationem ipsius Baronij *Tom. 2.* id accidit circa annum 188. imò ipse addit monachos illos successores *Essenorum* fuisse, quos constat multò antiquiores esse *Antonio*: ipse etiam Card. Baronius *Tomo 3.* circa annum Christi 328. asserit, *Antonium* instructum fuisse in disciplina monastica per quendam monachum, *Essenorum* successorem: quare ipse Baronius præcitato loco non audiens *Antonium* indubitanter primum Cœnobarum *Institutorem* facere, addit (vel *Restitutorem*) sed quæ adduximus, perspicuè improbant illam disunctionem: videtur tamen hanc suam opinionem retractasse in *Notis Martyrologij Romani* ad diem 19. *Octob.* his verbis: *Complures Monachos sub Maximino (circa an. Domini 236.) martyrio coronatos esse, non tantum ex Martyrologijs, & Menologijs expressum habes, sed apud Eusebium Hist. lib. 8. Porro ipsum Monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesia viguisse, ex his quæ scribit Philo de Essais, & quæ habet Dionys. Areopag. & alij, facile colliges: licet nomen ipsum non adeo vetus fuerit. Vnde Augustinus in Ioan. Tract. 97. sic ait: Monasteria & Xenodochia postea sunt appellata novis nominibus; res autem ipsæ ante sua nomina erant. Hactenus loco citato Baronius.*

Obijcit itidem Illustris. hic Cardinalis Baron. quod cum apud S. Hieronymum, Palladium, Euarium Cassianum, & alios sæculi illius scriptores, frequens mentio sit de monachis in Palæstina degentibus, nusquam de monachis Carmelitis meminerint, manifestum indicium esse, falso sibi tantam antiquitatem arrogasse: certè nemo est tam ignarus, qui non probe agnoscat argumentum ab aucto-

auctoritate negata, sed non negante, à Philosopho
 in Topicis reprobari, atque reijci tanquam inutile
 ad rei dubiæ faciendam fidem, nec abs re. Nemo
 enim omnia sciuit, aut dixit, aut dicere debuit, aut
 voluit. Vnde Illustriss. pariter, & doctiss. Card. Bel- Card.
Bellarm.
 larminus *lib. 2. de Romano Pont. cap. 8.* simili argu-
 mento in hunc modum occurrendum censuit; Re-
 spondeo, inquit, *nihil concludi ex argumentis ab au-*
thoritate negatiuè; non enim sequitur: Lucas, Paulus,
 & Seneca non dicunt Petrum fuisse Romæ, igitur
 Petrus non fuit Romæ. *Non enim isti tres omnia di-*
cere debuerunt, & plus creditur tribus testibus affir-
mantibus, quam mille, nihil dicentibus. Præterea
 respondeo prædictos omnes authores non modo
 meminisse, verum & complura scripsisse de huius
 sacri Ordinis monachis, licet non sub nomine Carmel.
Carmelitarum, quo tunc temporis nondum ap- varijs no-
 pellabantur: at sub alijs varijs nominibus, iuxta va- minibus
 riam rerum & temporum rationem. In veteri quip- pe olim ap-
 pe lege appellabantur huius Ordinis alumni, *Pro-*
pheta, aut *Filij Prophetarum*; subinde *Affidai*, *Essai*, *pellaban-*
Elizeni seu *Esseni*, quod nomen etiam retinuerunt *tur, tandè*
 in primitiua Ecclesia, & sub hoc nomine agit de il- à monte
 lis Philo & alij. Tempore vero Apostolorum, *viri Carmelo*
Religiosi, ita illos vocat Lucas *Act. 2. cap.* Eodem *dicti sunt*
 sæculo dicti sunt à S. Dionysio Areopag. *Therapeu-* Carme-
ta, id est, *Dei cultores*, *lib. de Eccles. Hierarch. cap. 6. lita.*
 in secundo sæculo ob assiduum orandi & supplican-
 di studium, *Supplices* dicebantur, ita Ioseph He-
 bræus *lib. de Supplicibus*; aut *viri Ordinis Prophetici*
 vel *Asceta* & sub hac denominatione tractat de illis
 Eusebius Cæsariensis Episc. & alij. Tertio sæculo
 & deinceps dicti sunt *Monachi*, *Cœnobita*, *Eremita*
 aut *Anachoreta* & sub his nominibus agunt de illis
 S. Hieronymus, Palladius, Theodoretus, Cassia-
 nus, Cyrillus monachus & alij permulti. Tandem
 denominati sunt proprio vocabulo, ad distinctio-
 nem aliorum Religiosorum à monte CARMELO
Carme-

Carmelita, quo vsque ad hæc tempora gaudent, Cur autem tam varijs nominibus ijdem Religiosi, eiusdemq; Ordinis diuersis temporibus appellati sint, inueniet Lector apud huius Ordinis Historicos.

CAPVT VII.

IOANNEM Hierosolym. Patriarcham XLIV. verum, & quidem Ordinis Carmelitici, fuisse Monachum, Auctoremq; libri, qui inscribitur, de Monachorum Institutis ad Caprasium, defenditur, itemq; Cyrillum Alexandrinum fuisse Carmelitam.

*Hier. Rö.
Baron.*

SEPTIMO non solum Hieron. Rom. cap. 8. *defensorij*, sed & Illustriss. Baron. Tom. 6. ad annum Christi 444. obijciunt Ioannem XLIV. Patriarcham Hierosol. non fuisse Ordinis Carmel. nec Auctorem libri *de institut. monachorum ad Caprasium*, qui habetur Tomo 9. Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Verba Illustrissimi Cardinalis hæc sunt: *Faceſſat ergo eiſmodi de monachiſmo Cyrilli Fabella, ſicut illa huic haud impar, qua traditur, & Ioannes Hieroſolymorum Epiſcopus fuiſſe etiam monachus Carmelita; ſicut enim hæc leuiter offinguntur, ita & facile refelluntur, flagrans quidem cupiditas nobilitatis auita, cogit interdum homines delirare.* Verum in primis illum monachum fuiſſe diſertis

D. Hiero.

verbis tradit D. Hieronymus in epistola ad Theophilum, vbi loquens de illo, occasione cuiusdam, quæ inter eos erat diſceptationis, hæc ſcribit: *Monachus, proh dolor, monachus & minatur, & imperat exilium & hic monachus Apoſtolicam cathedram habere ſe iactans.* Monachum autem fuiſſe Carmelitanum tradunt Armachanus apud Waldenſem de

Armach.

Morigia.

Platus.

Paleonyd.

Molan.

ſacramentalibus tit. 9. c. 89. Morigia lib. 1. de orig. Religion. cap. 30. Plato de bono ſtatuſ lib. 1. cap. 22. Paleonydorus lib. 2. cap. 6. Molanus in ſuo Martyrol.

die 13. Ianuar. nec non & Trithemius de laudibus *Trithem.*
 Carmelitarum, & communis traditio sacri Ordinis. Illius autem libri Ioannem auctorem fuisse, vbi
 Religiosum Carmelitam se profiteretur, eiusque Religionem eandem esse cum ea, quam Elias instituit, his verbis tradit *D. Cyril.*
 D. Cyrillus Constantinopolitanus in epistola per longa ad Eusebium; *Volumen Constant.*
 de institutione primorum monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseverantium ad Caprasium monachum, est IOANNIS XLIV. Hierosolymorum Episcopi, eius videlicet, qui circa annum Domini quadringentesimum Arcadio & Honorio Imperatoribus, sanctis Epiphanio, & Hieronymo suspectus fuit de heresi Origenis, Latiusq; idem narrat Epist. ad Abbatem Ioachim, quæ habetur in speculo Ordinis Carmelitici libro 8. vbi hæc; D. Cyrilli verba legimus: Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum quidam dictorum Religiosorum Pater miræ virtutis, & perfectionis, Ioannes nomine, qui ceteros consortes suos eiusdem montis monachos, exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, secundum propheticam disciplinam vitam monasticam per Eliam Prophetam instituta. Quam disciplinam Ioannes eis exponebat ex diuersis litteris, tam veteris, quam nouæ legis, & ex nonnullis tractatibus editis à prædecessoribus suis: qui tandem propter eius sanctitatem in Pontificem Hierosolym. Ecclesia sublimatus, Apostolo Iacobo in Episcopatu eiusdem Ecclesia quadragesimus quartus successit. Hunc Ioannem charissimus eius discipulus, Caprasius nomine, eiusdem montis & Religionis monachus, suppliciter rogauit, ut quæ de institutione huius Religionis, & primis eius Fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum acquirenda, frequenter disseruerat, dignaretur sibi, & suis consortibus breuiter redigere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur, ne oporteret eos librorum vniuersitatem euoluere: IOANNES ergo cernens, quod propter occupationes
 V s susceptè

suscepti officij, non posset ulterius iugem in monte Car-
 melo residentiam habere: quod Caprauius ab eo fla-
 gitauerat, opere compleuit; scripsit enim eloquio, &
 litteris Græcis in quodam libro primariam nostræ Re-
 ligionis institutionem, & de Fundatorum eius digni-
 tate. Cum ergo Cyrillus vir fuerit doctrina præ-
 cellentissimus, atque Tertius Latinorum in Car-
 melo Prior, quoniam pacto latere eum potuit, verè
 ne Ioannis XLIV. volumen esset, procurante Ay-
 merico e Græco Latine reddi? aut si ipsum res hæc
 latuit, quorsum vir ille sanctissimus, & fidelis ami-
 cus Dei, ut eum vocat Molanus ad diem 6. Martij
 femota omni dubietate, tam serio confratri suo
 Eusebio Priori Eremitarum montis Neroi descri-
 bit. Ioannem Hierosolymitanum XLIV. Episcopum
 temporibus Arcadij, & Honorij Imperatorum insti-
 tuti Carmelitarum antiquitatem, & primordia
 Græco idiomate conscripsisse, atque eadem scripta
 nuper iussu Aymerici, in gratiam Eremitarum La-
 tinorum latinitate donata: sapientiss. Ferdinandus
 de Salazar e Societ. IESV, in lib. suo Epologetico pro
 immaculata B. Mariæ Virg. Concept. argum. 12.
 seculo 4. ita de Ioannis nostri monachatu & dicto
 eius libro loquitur: Illud, ait, scias velim, illustri-
 Card. Baronium & Bellarminum serio affirmasse, li-
 brum illum de institutione Monachorum, non esse
 IOANNIS Hierosolymitani germanum opus, ea ra-
 tione inducti, quia meminit Carmelitarum, eorumq;
 habitum graphicè describit, quos, aiunt, IOANNE
 Hierosolymitano longè posteriores fuisse. Sed absit, ut
 ego Carmelitanis Patribus inuideam, ut & dictum
 IOANNEM inter suos protopatres numerent, & tam
 nobile, tamq; antiquum pro immaculata Virginis con-
 ceptione testimonium, inter sua Religionis ditissimas
 gazas ostentant. Vidi certè (nota Lector, & pondera
 huius Doctotis verba) atque evolui non pauca anti-
 quitatis monumenta, ut in hac controuersia aliquid
 certo definirem; nihil tamen compari, quod non sua-
 deret præ-

Molanus.

deret promissum Ioannem Carmelitam fuisse & dictum de institutione Monachorum librum, ab ipso conscriptum, atque adeo hanc sententiam, libens amplexor, & grauiissimo, antiquissimoq; Ordini, qua sua sunt libens restituo. Hæc ille. Præterea librum illum tanquam vero eius auctori tribuendum esse Ioanni XLIV. expressè fatentur, Vincentius in suo speculo historiali, Philippus Ribottus in præfatione librorum de Instit. Carmelitarum, Thomas Waldensis de Religiosorum statu contra Wicleph, Bapt. Mantuan. in sua Apologia pro Carmel. Ioannes Paleonydorus in epist. ad patrem Rumoldum & lib. 2. antiquitatis Caumelitanae cap. 6. Hieron. Platus lib. 2. de bono status Relig. c. 22. Azorius institutionum moralium libro 12. c. 23. Hi omnes alijq; quamplurimi, disertis verbis fatentur auctorem istius libri fuisse Ioannem XLIV. Hierosolymorum Episcopum ex Carmelitis assumptum, qui floruit Arcadio & Honorio Imperatoribus: quibus accedit, quod in impressione secunda Bibliothecæ Sanctorum Patrum Tom. 9. facta prius diligenti examine per grauiissimos viros historiarum peritissimos, an illius libri author esset Ioannes XLIV. cum id verissimum esse reperirent, appositus est denuò ille sub nomine Ioannis Hierosolymit. XLIV. Patriarchæ: quare minimè crediderim Alumnos huius sacrae Religionis inanis gloriae ambitione laborantes (vt putat Cardinalis Baron.) arrogasse sibi, hunc Patriarcham assumptum fuisse ex suo Carmelitano Ordine; nam si cupidine nobilitatis auitæ mentiri libuit, cur hunc Ioannem XLIV. Hierosolymorum Episcopum Carmelitam esse voluerunt potius, quam Iustum, vel Zachæum, Thobiam, vel Beniamin, Ioannem, vel Mathiam, vel Philippum, Senecam, vel Iustum, Leui, vel Ephræm, Iudam, vel Marcum, Cassianum, vel Publium, Maximum, vel Iulianum, Gainum, vel Capitonem, vel Antonium, Valentem, vel Dolychianum, Narcissum, vel Elium, Germanium,

Vincent.

Philip.

Ribottus.

Thom.

Waldens.

Mantuã.

Ioan. Pa-

leonyd.

Hieron.

Plat. li. 2.

de bono

statu re-

lig. c. 22.

Azorius.

Biblioth.

SS. Patrũ.

Baron.

manium,

manium, vel Gordium, Narcissum vel Hermonem, alijs Thermonem, Macharium vel Maximum. Nam isti omnes Episcopi Hierosolymitani fuerunt, & melior eorum pars monachi: si (inquam) cupidine lucri, ambitionis, nobilitatis auitæ, cur huic vni, si fingere libuit, & præsertim de erroribus Origenis grauissimè notato potius, quam cuiquam ex supra dictis nullius erroris suspectis librum ad *Caprasium* appinxerunt?

Porro, cum ex prædictis omnibus non obscure liqueat *Ioannem XLIV.* Patriarcham Hierosol. verè fuisse monachum Carmelitam, oportet eum nunc vindicare ab hæresi sibi à nonnullis imposita. Etenim idem *Illustriss. Cardinalis Baronius Tom. 4.* ad annum Christi 392. vocat illum, Origenis errorum patronum, & Origenistarum fautorem, quod confirmat ex varijs locis *D. Epiph.* & *Hieron.* in epistol. ad illum scriptis. Verum ego, tam apud sanctos Patres, etiam *Hieron.* & *Epiph.* quam apud grauissimos auctores reperio, virum fuisse, non solum ab omni hæresi alienum, sed hæreticorum acerrimum impugnatores, ac insigni sanctitate conspicuum; & quidem in primis *Anastasius Papa* in epistola ad ipsum *Ioannem* de *Ruffino* ei relectus, ac vt Origenistam eum damnans; ipsum *Ioannem*, vt sanctissimum his verbis commendat: *Vt amor tuo gratias ago, ita splendorem tue sanctitatis, & eas, quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo, paruitatis nostræ favorabilis sermo prosequitur. Tam eminenter, vir omnium præstantissimi, laudum fulges nitore conspicuus: vt par esse meritum sermo non possit. Porro tanto titularum tuorum raptum incitamento, vt etiam, quod impetrare nequeo, audent non desinam. Iam hoc de laudibus est tuis, quod me tantum de cælestis animi istius serenitate laudasti: tu enim Episcopatus ordo perspicuus, per vniuersum orbem velut radians, etiam ad nos splendoris sui detulit claritatem. Hæc ANASTASIUS Papa, qui certe non*

*Card.
Baron.*

D. Epiph.

*Anast.
Papa.*

ita serio Ioanne laudaret, si aliqua Origenis labe inureretur. Diuus Cyrillus Constantinopolitanus in Epistola ad Abbatem Ioachim, & epistola ad Eusebium Eremitam Montis Neroi, ita de eius sanctitate testatur: *Fuit autem tempore Arcadij, & Honorij Imperatorum, in Monte Carmelo Pater dictorum Religiosorum, quidam vir mira virtutis, & perfectionis Ioannes nomine, qui ceteros consortes suos eiusdem Montis incolas, exemplo suo, & magisterio sollicitè inducebat ad perfectionem acquirendam, secundum propheticam disciplinam vita monastica per Eliam Prophetam instituta. Sanctus Theodoretus libro 5. cap. 25. & 37. in hunc modum de Ioanne loquitur: Hierosolymorum Ecclesia presidebat IOANNES, vir mirabilis, successor Cyrilli. Trithemius deinde præcitato loco sanctissimum illum appellat; vnde doctissimus Molanus inter Diuos, quos in suo Martyrolog. refert, adscribit Ioannem in hæc verba: Item S. IOANNIS Episcopi Hierosolymitana Ecclesie, Ordinis Carmeli Professoris: sed & ante illos eius sanctitatem commendauit Nicephorus Callistus lib. 14. cap. 30. dum ait: Hierosolymis Cyrillo, diuinus IOANNES successerat & li. 16. c. 34. hæc verba habet: Patriarcha IOANNES vna cum sanctis illis viris, postquam non breuissimo tempore superuixit, Petrum Ecclesie suæ, & pietatis simul successorè reliquit. Ibidem etiam tradit Hæreticorum oppugnatorem accerrimum fuisse, in cuius testimonium refert, illum religioso quodam stratagemate illulisse Seuerum Imperatorem, vt cum ille expectaret, eius errores approbandos à Ioanne, ille publicè eos damnauit, verba Nicephori sunt hæc: IOANNES suggestum conscendit ex vtraque parte, Sabbæ, & Theodosij propugnatorum fidei manibus vtrisque suffultus, atque vbi paululum continuit, & multitudinem etiam mussitare audiuit, minus sanam fidem, anathemate condemnari debere, fiducia plenus, huiusmodi protulit verbum; Si quis Eutyheti, & Nestorio, &*

D. Cyrill.

S. Theod.
Trithem.

Molan.

Niceph.
Callistus.Idem
Niceph.

Seue-

Seuero, & Sotherico Cæsareæ Cappadocum Episcopo assentitur, *anathema sit.*

Possenin.

Atque hinc est, quod doctissimus Possseuinus ex Ordine Iesuitarum Tomi 2. fol. 205. ab omni heresi alienum imò sanctitate clarum illum prædicat in hæc verba: IOANNES Hierosolymitanus Episcopus, quem Gennadius in Catalogo (inquit) scripsisse aduersus obtrectatores studij sui librum, in quo ostendit, Origenis se ingenium non fidem sequutum, reprobatur à Baronio annalium Tom. 6. sub anno Domini 444. Leonis autem quinto sui Pontificatus, monstrante eum haud fuisse Carmelitam, id quod Petrus Lucius asseruit, faciens eum Patriarcham Hierosolymitanum ab Adriano Pontifice Maximo huius nominis primo è monasterio Montis Carmeli eam ad dignitatem ob vita sanctitatem, atque doctrinam euectum, & claruisse anno septuagesimo supra septingentesimum, scripsisse vero ad fratres quasdam hortatorias epistolas; at qui aquinocasse Petrum Lucium conijcitur, cum de Ioanne illo, de quo Gennadius scribit, aliunde constet eum vixisse anno quadringentesimo, & quod excurrit, ac scripsisse quidem hortatorias epistolas, sed & librum aduersus obtrectatores nominis sui, quo in opere purgare se voluit Hieronymo, atque Epiphano de crimine Origenis: qui & ad Caprasium composuit librum de institutione primorum Monachorum, quem Aymericus Antiochenus Patriarcha è Græco Latinum reddidit, quique Venetijs ita in lucem prodijt. Hæc Possseuinus. Causa autem, ob quam D. Hiero-

D. Hiero. nymus & Epiphanius aduersus Ioannem scripserunt, monentes, ne Origenis erroribus adhereret, ea certe fuit quod crebro ipse Origenis ingenium summopere laudare solitus erat; vnde multi & eius doctrinam illum approbare coniectabant, & hinc dicti Patres ansam sumpserunt ad ipsum corripiendum, quod tandem non ignorans D. Epiphanius in epist. ad ipsum Ioannem, inquit: *Video quod propter hanc causam omnis vestra indignatio concitata sit,*
quod

quod dixerim vobis, Arrij Patrem, Originem scilicet, & aliarum haresium radicem, & parentem laudare non debetis. Ecce habitus est Ioannes Origenista, non quia eius errorum sectator, sed ingenij laudator esset, vt & ipse Ioannes fatetur in libro, quem scripsit aduersus sui nominis obrectatores. Vnde D. Hieronymus, qui aduersus Ioannem præ ardore sui zeli scripserat, putans, illum erroribus Origenis adherere, postea veritate cognita id retractauit, & quam antea, tanquam Origenistam abiecerat, postea vt orthodoxæ fidei verum cultorem amplecti non dubitauit. Etenim in epistola ad Theophilum carpit illum, quod Ioannem reprehendisset: verba eius sunt hæc: *Liberè Reuerentia D. Hierb.* vestra loquor; dolebamus, te nimium esse patientem, & ignorantem Magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum. Sed vt video, exaltasti manum diu, & suspendisti plagam, vt ferires fortius. Super susceptione cuiusdam, non debes contra urbis huius dolere Pontificem, quia nihil tuis litteris præcepisti, & temerarium fuit de eo, quod nesciebat ferre sententiam, tamen reor, illum nec audere, nec velle, te aliquando ledere. Hæc D. Hieronymus. Quibus recitatis, subdit Illustris Cardinalis Baronius Tom. 5. *Baron.* ad annum 399. hæc verba: Hieronymus excusat Ioannem Hierosolymitanum Episcopum de communicatione ante cum Origenistis inita, de que eius animi consilio inharendi ipsi Theophilo. Adde, quod & *D. Aug.* D. Augustinus disertis verbis eius sanctitatem attestatur. nam libro 2. contra litteras Petiliani, cap. 51. dixit: *Cathedra quid tibi fecit Romana Ecclesia, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet, vel Ecclesia Hierosolymitana, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in Catholica fide vni connectimur, & à quibus vos nefario furore separatus. imò & Baronius præcitato loco, ait: D. Au. Idem.* Augustinus IOANNIS mores, sanctitatemq; suo tempore mirificè coluit. Ac iterum alibi, *Atque hinc, inquit, patet,*

patet, IOANNEM nomen percelebre habuisse, & optimi
 Catholici, eiusq; fidem in ore omnium versari, tam in
 Oriente, quam in Occidente. In centuria etiam i. l.
 Catalogi scriptorum Britanniaë hæc memoranda
 lego: Palladius Græcus primus Scotorum Apostolus,
 Ioannis XLIV. Hierosolymorum Episcopi discipulus
 olim fuit, ut author est Nicolaus Harlemius, dum ad-
 huc Eremita cultor, solitaria Syria loca, potissimè Car-
 melum incoleret. Eius, inquam, Ioannis, qui ad Ori-
 genis allegoricum dogma Hieronymi, atque Epiphani
 in se concitavit scripta, quibus tamen ipse suis
 rationem reddens, respondit, se non Origenis fidem, sed
 ingenium esse imitatum, ediditq; librum contra sui
 studij obrectatores, & de institutione primorum
 Monachorum librum allegorijs plenum, quem è Græ-
 co translatum vidi. Sed quid in his nimium moror-
 cum adhibita distinctione duplicis Ioannis a gra-
 uissimis Doctoribus acceptata innocentia Ioannis
 Hierosolymitani facilè innotescat: duo fuerunt an-
 tiquis temporibus Ecclesiæ Hierosolymitana Episcopi,
 Ioannis nomine insigniti, ambo Carmeliticæ
 disciplinæ professores, vnus illorum vir fuit sanctis-
 simus, qui librum scripsit ad Caprasium, alter hære-
 seos author controuertitur, ille iunior, hic anti-
 quior. Hanc, quam trado distinctionem, diserte
 prodiderunt collectores epitomes, quæ dicitur
 Conradi Gesneri, quam si impugnatores aduertis-
 sent, minime forsan asseruissent, Ioannem XLIV.
 Episcopum monasticæ disciplinæ patrem, plenum
 sanctitate, insignem miraculis, hæreticum fuisse
 Origenistam, sed potius falsò habitum, vt talem
 Eruantur hæ tenebræ, & oriatur lux, vt cognoscan-
 tur, qui Domini sunt. Nec latuit hæc distinctio do-
 ctissimum illum, & de Ecclesia Catholica optime
 meritum Ioannem Molanum, qui in suis ad Mar-
 tyrologium Vsuardi additionibus, eo die, quo na-
 talis Ioannis adnotatur, videlicet pridie Idus Ianua-
 rij, ipsum Ioannem iuniorem inscripsit, adiungen-
 dum Ord. Carmeli professorem fuisse.

Centuria.

Nicol.
Harl.

Molanus.

Por

Porro, vt obiectioni Illustrissimi Baronij ex in- *Baron.*
 tegro satisfaciam, restat ostendere verum, quod
 falsum ipse putat, scilicet *D. Cyrillum Alexandri-*
num Carmelitam fuisse: sanè hoc clarissimè patet
 ex Officio proprio, à multis Romanis Pontifici-
 bus, approbato, quo vtitur sacer Ordo Carmelita-
 rum in die *S. Cyrilli*. Deinde ex Chronico anti-
 quissimo manuscripto, in Bibliotheca *S. Ludouici*
 Galliarum Regis reperto, & vt creditur, ex Orien-
 te deportato, in quo subiecta verba legimus: *In*
Concilio Ephesino, quod fuit celebratum per CC. E-
piscopos, anno Domini 431. presidebat loco Papa Cæ-
lestini I. B. CYRILLVS monachus montis Carmeli,
 qui ob sanctitatem vite &c. Ioannes Trithemius in *Trithem.*
 lib. suo de Scriptor. Eccles. de Cyrillo Alexand. sic lo-
 quitur: *Cyrillus Episcopus Alexandrinus, Doctor*
Græcus, montus Carmeli quondam decus, & cultor
insignis, &c. & iterum in lib. de viris illustribus Ord.
Carmel. Cyrillus Ordinis Carmelitici Monachus,
 postea *Episcopus Alexandrinus &c.* Trithemij nobi-
 lissimi scriptoris sententiam sequutus est Ioannes
 Rioche Franciscanus lib. 2. de S. Ecclesia Doctoribus Ioannes
 cap. 24. vbi ait: *Hic B. Augustinus fuit vita monasti- Rioche.*
ca, vt & B. Hieronymus, Basilius, Gregorius, & Cy-
rillus Alexandrinus, qui fuit ex congregatione mon-
tis Carmeli. Suffragatur Arnoldus a Villanoua *Arnold. de*
 S. Theologiae professor in epist. ad Regem Aragonia *Villanoua,*
 inquit: *Temporibus predicti S. Ioannis XLIV. Pa-*
triarcha Hierosoly. mortuo Patriarcha Alexandrino
Theophilo, anno Domini 403. Cyrillus Eremita
montis Carmeli, Episcopus Alexandrinus 28. ordi-
natur. Vir fuit vita sanctissima, fideiq; Catholica fi-
delissimus propugnator, strenuusq; hereticorum de-
bellator. Hic apud Alexandriam nedum claris, sed &
Christianis ortus parentibus, ab auunculo suo Theo-
philo Athenas missus, ibi adeo profecit, vt breuis
adeptus fuerit Doctoris insignia. Audiens autem S. Io-
annis in Hierusalem bonam famam, dum ipsius pra-
 sentis

- sentia aliquamdiu fruitus fuisset, iunctus Fratribus Carmeli, in Religione speculum illis dedit fulgentissima sanctitatis. Idem restantur Paleonydorus lib. 2. de orig. & progres. Ord. Carm. cap. 7. Bapt. Mantuan. lib. 1. de sacris diebus. & in Apolog. pro Carmel. Guilielmus Eisengreinius centur. 1. Hist. Eccles. par. 3. dist. 1. tit. de Monach. Carmel. Ioannes de Hilduno in explanatione illius, Datus est ei decor Carmeli. Thomas Episc. Norvvicensis, Thomas Waldensis in lib. de Sacramental. Thomas à Iesv lib. 1. Antiqu. Carm. cap. 12. Didacus Coria in dilucid. lib. 9. cap. 18. tandem, præter alios complures, Historia Hierosolymitana & Alexandrina citat. à Paleonydoro lib. 2. cap. 7. Immemorialis etiam traditio totius Ordinis Carmelitarum, qui illum tanquam sanctum suæ disciplinæ professorem, & ex Apostolico indulto natalem illius celebrat. id satis superq; probat.
- Porro sciendum quod sacra Carmelitarum Religio, tres habuerit huius nominis viros, sanctimonia & eruditione celeberrimos: quorum primus est præclarus ille CYRILLVS Hierosolymitanus Antistes ex Carmelo assumptus, cui successit in generali Carmeli præfectura, vti & postmodum in Patriarchatu Hierosolymitano, prædictus S. Ioannes Hierosolymitanus, teste Paleonydoro lib. 2. cap. 6. scripsit hic Cyrillus in adolescentia Catecheses, quæ nunc latine & græcè extant. Obijt anno 386. Theodosio imperante. Celebratur eius festum 18. Martij, quem hoc commendat Elogio Martyrologium Romanum: Hierosolymis S. Cyrilli Episcopi, qui ab Ariano multas fidei causa perpeffus iniurias, & ab Ecclesia sua sepe pulsus, tandem sanctitatis gloria clarius in pace quieuit; cuius intemerata fidei synodus œcumenica Damaso scribens præclarum testimonium dedit.
2. Secundus huius nominis Carmelita, est S. CYRILLVS Alexandrinus Episcopus; de quo paulo ante pluribus egimus. Agitur eius dies festus apud Latinos 28. Ianuarij, apud Græcos vero 9. Junij. Obijt anno

Paleonyd.

Bapt. Māt.

Eisengrei.

Ioan. de

Hilduno.

Thom.

Norvvic.

Waldens.

Didacus

Coria.

Hist. Hie-

rosolymit.

Alexan-

drina.

Sacer Or-

do Carme-

lit. tres

habuit

Cyrill.

sanctitate

& doctri-

na cele-

berrimos.

1.

S. Cyrillus

Hierosol.

2.

S. Cyrillus

Alexand.

anno 444. porro tanti patris præconia non vnius tantum, vel alterius inueniuntur testimonio comprobata, sed duorum œcumenicorum Concil. Ephesini & Chalcedonensis actis celebrata, atque firmata.

Tertius autem eiusdem nominis Carmelita, est S. CYRILLVS, dictus *Constantinopolitanus*, eo quod Constantinopoli ortus sit, cuius testimonio aliquoties vsi sumus in hoc libro. Fuit hic Tertius Prior Generalis Latinorum Carmelitarum, successor S. Brocardi, in docendo vberimus, in disputando acerrimus, in prædicando ardentissimus. Claruit Philippo & Othone imperatoribus circa an. 1200. celebratur eius Festiuitas 6 Martij.

3.
S. Cyrillus
Constantinopolit.

CAPVT VIII.

Quod sub Alexandro Pontifice primum (vt illustrissimus Card. Baronius videtur asserere) Ordo Carmelitarum non sumpserit exordium, neque ab Aymerico Patriarcha Antiocheno, vt quidam censent: Seruasseq; iam ante hæc tempora hunc Ordinem tria Religionis vota essentialia.

O Craudè contra antiquitatem Carmelitanæ Religionis obiecit Illustrissimus Cardinalis Baronius Tom. 12. ad annum Dom. 1181. ab Alexandro Pontifice exordium habuisse verba eius sunt hæc: *Antequam ab Alexandro ad eius successorem conuertamus orationem, constantior illa videtur assertio, quod Ordo Religiosorum Carmelitarum, qui in Palestina, in ipso Carmelo monte fixere sedes, sub eodem Alexandro Romano Pontifice sumpsit originem: quoto anno autem eius Pontificatus, habetur incertum.* Deinde addit, primordia huius Religionis deberi Aymerico Patriarchæ Antiocheno. Ad hanc obiectionem euertendam eruditus author Petrus Wastelius in suo libro *Apologetico pro Ioan-*

Baron.

Petr.
Wastel.

Francisc.
Mod.

nis Hierosolymitani Monachismo in Carmelo, postquam recitauerat relata verba Baronij, hæc subiungit: Sed hoc est derelinquere fontes, & quarere sibi cisternas, qua non continent aquam: ad limpidum magis fontem accurre, siquidem puram aquam adideras. Etenim maior pars eorum, quorum tibi constanter apparet assertio, sunt aut hæretici, aut qui male de monastica antiquitate sentiunt; in his est indoctus Franciscus Modius libro de vestitu, & origine statuti Ecclesiastici, qui venena sua exsuxit ex Vergilio Polydoro à Simone Grinao, quantum fas est suspicari, hæreticorum commentis consperso: denique ut similibus enumerandis superjedeam, ea est sententia Michaelis Bunchingeri in historia Ecclesiast. ad annum 1071. sed qui & ipse putat ante Paulum Monasticen nullam fuisse, nec meminisse alibi aut legisse, aut audiuisse quempiam, qui esset in Cardinalis Baronij sententia, & non simul antiquitati monastica derogaret, ac proinde nihili putato habendam esse eorum sententiam. Caterum hic tantum animus est eam refutare ex testimonio sancti viri Cyrilli, cuius de ea re certa est scientia adseuerantis illo ipso tempore, cui aduersarij appingunt Ordinis primam institutionem, iussu ipsius Aymerici, antiquum Ioannis nostri de Carmelitana antiquitate volumen è Græcæ latinitate fuisse donatum. Adferre quidem liceret plura antiquorum Carmelitarum, Patrum nostrorum testimonia, at falso leuiter nimis à contumeliosis dicentur efficta, quanquam nemo ipsis Carmelitarum hanc domesticam certius, fideliusq; queat testari: ergo ex his, prætermisiss multis, adducam, quem dixi sanctissimum, antiquissimum Patrem Diuum Cyrillum Presbyterum Constantinopolitanum, tertium ab Aymerici reformatione Priorem Generalem, quem erroris, & mendacij arguere, valde temerarium, et impium fuerit. Testimonium autem, quod adducit Cyrilli, habetur in epistola illius ad Eusebium Eremitam, qua Ordinis Carmeliticæ, à Ioanne Hierosolymitano

lymitano vsque ad sua tempora, continuationem fidelissimè enarrat: ibi post longum huius rei sermonem, & postquam retulerat librum à Ioanne Hierosolymitano compositum de institutione Monachorum Carmelitarum, hæc verba subdit de Aymerico, quem ibi nominat: *Intelligens autem quosdam eorum, qui ex Occidente superuenerant spreto seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem religiose vitæ Eremiticæ, in prædicto Ioannis libro descripta, & perpendens, hoc ideo maximè contingere, quia Græcas litteras ignorantes, nesciebant eodidem illum legere, fecit librum illum de Græco in Latinum transferri.* Cæterum, vt quod in hac huius authoris impugnatione censeo, luculenter indicem, immeritò carpit Illustrissimum Cardinalem Baronium, tum quia ille antiquitatis monasticæ nunquam oppugnatorem, sed defensorem se exhibuit, nec lato vngue, in hac parte à communi Theologorum sententia de vetustate monachatus discedens, tum quia loco illo citato *Tom. 12. ad annum 1181. minimè tradit Aymericum Patriarcham Antiochenum fuisse primum institutorem Ordinis Carmelitici, sed promotorem, & propagatorem, verba eius sunt hæc: Horum autem promotor, propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apostolica sedis Aymericus Patriarcha Antiochenus, Tum etiam quia si D. Cyrillo præcitata epistola ad Eusebium fides adhibenda est, vt reuera adhiberi debet, ipse testatur Aymericum primitus statuisse & ordinasse, vt Monachi omnes, qui tunc erant Ordinis Carmelitici, obedientiæ votum emitterent in manus Prioris, cum tamen ante illum, licet subderentur suis Prælati, non tamen ex voto, verba D. Cyrilli de Aymerico loquentis, hæc sunt: Statuit enim quod ex ipsis vnus, qui diceretur Prior deinceps eis ita præesset, vt quilibet aliorum obedientiam ei deuoueret, sub cura cuius & regimine omnes viuerent, quibus antea licet semper*

D. Cyrill.

unus ex eis praeset, quem Abba lingua Syra, & Pa-
 trem Latina appellabant, sub regim. ne cuius mane-
 bant, & cui etiam tanquam Patri secundum institu-
 tionem obediebant, non tamen se alicui voto speciali
Aymeric. prius obligauerant, donec praedictus Patriarcha Ay-
 mericus omnes primo ad hoc adstrinxit. haec D. Cy-
 rillus. Ex quibus verbis clarè constat ipsum fateri
Aymericum primordia dedisse voto obedientiae e-
 mittendo; est autem certum nullam veram esse
 posse Religionem absque voto obedientiae; ex quo
 videtur vera reddi assertio Baronij, scilicet *Ayme-
 rici* tempore primordia data Religioni Carmeli-
 ticae, cum ab eo introducta tunc fuerit emissio voti
 obedientiae, sine quo essentialis ratio Religionis
 consistere non potest. Fateor tamen ex hoc D. Cy-
 rilli testimonio non colligi, ante *Aymericum* non
 fuisse solitum votum obedientiae emitti à Mona-
 chis Carmelitis, solum enim illi, quos *improbos* vo-
 cat *Aymericus* in praedicto testimonio D. Cyrilli,
 ut liberius viuerent, renuebant votum obedientiae
 emittere, reliqui tamen verè illud emittebant.
Aymericus autem constrinxit omnes quotquot
 erant Monachos, illud votum emittere, cum tamen
 antea permitti fuissent nonnulli illud non emitte-
 re: idque solum indicant verba D. Cyrilli, si sincerè
 perpendantur: nec mihi vlla ratione persuadere
 possum, antiquos illos Monachos ab *Elia* institu-
 tos, tria vota substantialia Religionis non emisisse,
Waldens. nam praeterquam in lege veteri receptum, vsuque
Gen. 29. firmatum fuit vouere Deo, ut tradit Waldensis in
Psal. 131. doctrinali lib. 3. art. 2. cap. 21. & constat clarè ex
Leuit. 27. *Genes. 29.* *Psal. 131.* *Leuit. 27.* *Deuter. 12.* & 23. Certè
Deut. 12. Religionis vota in veteri lege obseruata fuisse te-
23. stantur Origenes in cap. 20. *Leu. homil. 11.* Isidorus
Origenes. lib. 2. de offic. cap. 4. Et copiosius *Canisius* de corrupt.
Isidorus. verbi Diuini cap. 21. hi enim omnes affirmant Na-
Canisius. zareos Religionis voto fuisse adstrictos.
Isa. c. 56. Deinde quod attinet ad castitatis votum, *Isaia*
 in ve-

in veteri lege id proposuit *cap. 56.* in hæc verba:
Nondicat Eunuchus, ego lignum aridum, quia hæc
dicit Dominus Eunuchus, qui custodierint Sabbatha
mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fædus
meum, dabo eis in domo mea, & in muris eius locum,
& nomen melius à filijs, & filiabus. quæ verba de vir-
 ginitate voluntaria intelligenda esse tradunt Diuus
 Hieronymus, & Cyrillus in *commentario* illius loci,
 D. Augustinus de *virgin. cap. 24.* & Basilius etiam
libr. de virginitate. Iam ex hoc loco non obscure
 colligitur consilium dari circa votum castitatis, ad
 eum certè modum, quo Christus Dominus simili-
 bus verbis, illud dedit *Matth. 19.* dicens: *Sunt Eunu-*
chi, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Cælo-
rum. Ecce ipsa Eunuchorum appellatio perspicuè
 indicat continentiaè votum, vt sapienter obserua-
 runt, D. Hieronymus *Matth. 9.* D. Augustinus *libro*
 de sancta virginitate *cap. 30.* Nec quidquam refert,
 si quis obijciat verisimile non esse in veteri lege
 datum fuisse consilium de voto castitatis, cum po-
 tius lex illa, maledictionis spiculum intorqueat in
 eos, qui semen post se non relinquunt, vt constat ex
Deuteron. cap. 25. Nam locus ille iuxta sententiam
 D. Ioannis Damasceni non loquitur de semine car-
 nali, sed de spirituali. Etenim *libr. 4. Fidei ortho-*
doxæ cap. 25. vbi virginitatem miris laudibus effe-
 rens, postquam eam multis veteris legis Patrum
 exemplis obseruatam fuisse docuit, vt ostenderet
 in illa lege, non solum virginitatem seruari, sed
 etiam votum continentiaè emitti, & laudari, sub-
 iungit: *Nonne lex, magnum votum, castitatem ap-*
pellauit? & vt obiectioni, quæ sese offerre poterat
 ex verbis illis *Deuteronom. 25. Maledictus homo,*
qui non relinquit semen post se, respondeat, statim
 adiecit: *Oportet igitur spiritualius accipere legis præ-*
ceptum. Nam est semen spirituale per charitatem, &
timorem Dei in mentis utero parturienti spiritum
salutis, sic autem accipiendum est hoc. Beatus est, qui

D. Hierõ.

D. Cyrill.

D. Aug.

D. Basil.

Matt. 19.

D. Hierõ.

D. Aug.

Deut. 25.

D. Ioan.

Damasc.

Deut. 25.

habet semen in Syon, & familiares in Hierusalem.
 Hæc Damascenus. Quibus manifestè confirmat, in lege veteri fuisse castitatis votum, nec reprobata fuisse continentiam, & quamvis Damascenus non exprimat locum, in quo lex magnum votum castitatem appellet, tamen præter illum *Isaiæ cap. 56.* supra adductum, est etiam alius celebris *Sapien. 3.* id non obscure indicans, vbi hæc verba legimus: *Felix spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit contra Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.* Qui locus eundem sensum cum illo priori *Isaiæ* habet; hæc autem tempore legis antiquæ dicta sunt, ex quibus non obscure constat, in illa votum continentia fuisse.

Isa. c. 56.
Sapien. 3.

Iosephus.

Ad hæc apud Monachos veteris legis receptum fuisse votum paupertatis aperte colligitur ex *Iosepho lib. 2. de bello Iudaico cap. 7.* vbi de *Essenis* loquens affirmat: Solitos esse post transactum certum tempus vota quædam, siue iuramenta emittere, per quæ ad perfectionem anhelabant: verba *Iosephi* sunt hæc: *Prius verò, quam incipiat communem habere vitam, magnis execrationibus adiurat, se primum colere Deum, deinde quoque erga homines seruare iustitiam, & deinde quibusdam interpositis subdit: Illis quidem sacramentis, ac ritibus obligatus nec capere ab alijs oblatum cibum potest.* Ac tandem *Eltam*, eiusq; successores, tam paupertatis votum, quam reliqua substantialia Religionis emisisse, vel illa vna ratio neruose satis suadet, quod si *Elias*, eiusque successores Monachorum institutum amplectentes, Deo se consecrarunt, *Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam* colentes, certè cum prædicti Patres, non ignari essent fore Deo gratissimum, longeque magis meritorium, propositum suum voto firmare: (hoc enim vt supra præmissimus in veteri lege notum, compertumque fuit) & præterea cum aperte scirent plurimum valere hanc

Elias
eiusq; suc-
cessores
seruarunt
tria sub-
stantialia
Religionis
vota.

voto-

votorum emissionem ad voluntatem nostram quæ lubrica, ac in malum propensa est, in bono firmandam, & in officio continendam: non est dubium quin hoc votorum adminiculo ad prædictos fines iuuarentur. Accedit ad hæc illius societatis viros, selectos ex grege Iudaico, sapientia, & acumine ingenij, cæteram plebem longè superasse, quibus ignorantia tantæ rei contingere non poterat, & multò minus *Elia*, & *Elisæo* vitæ monasticæ *Ducibus*, qui ex frequenti cum Deo colloquio, & lectione Scripturarum, diuitias & vberimos thesauros, qui in votis monasticis latebant, facile cognoscere potuerunt: quare existimo Scripturæ, & rationi valdè consentaneum esse, viros illos diuino lumine ductos, *institutum monasticum tribus votis* firmasse, maximè cum *Elia* speciali Dei reuelatione, monasticæ professioni initum dederit, vt testantur *S. Isidorus libr. 2. de diuinis officijs cap. 15.* *Sozomenus lib. 1. Ecclesiast hist. cap. 12.* & *Nicophorus lib. 8. cap. 35.*

Elia ex speciali Dei reuelatione principium dedit vitæ monasticæ. S. Isidor. Sozomen. Nicoph.

Tandem *Aymericum* non dedisse primordia huic sacro Ordini illud apertè confirmat, quod ante *Aymericum* Patriarcham *Leo IV. Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. Ioannes XI. Sergius IV. Clemens III. & Alexander II.* varia priuilegia concesserant Monachis montis *Carmeli*. Etenim cum propter hostium incursum varia eorum monasteria fuissent euersa, sacri Pontifices concesserunt varias indulgentias Christi fidelibus, qui ad eorum restaurationem, & Monachorum victum, alicuius eleëmofynæ subsidium impenderent; ne autem quis præm, hoc in dubium vertat, locupletissimus testis, omni exceptione maior, *Gregorius XIII.* qui in Bulla, Carmelitano Ordini concessa, cuius initium est, *Vt laudes gloriosissima; Compendiumq; priuilegiorum, plura horum Pontificum priuilegia refert, eorumq; meminit Hieronymus Romanus in Reipublic. 1. part. lib. 6. c. 10.*

Leo IV. Adriã. II. Stephã. V. Serg. III. Ioan. X. Ioan. XI. Serg. IV. Clẽ. III. & Alex. II. Gregor. XIII. Hier. Rõ.

CAPVT IX.

Essenos instituto & disciplina vitæ, Successores fuisse
 Elia & Elisæi, indeq; probabiliter, quasi Elisænos,
 nuncupatos: atque ab his postea per Ægyptum
 Monastica vitæ Regulam verisimilius
 propagatam, ac traditam.

Plinius.
 Solinus.

Baron.

Iosephus.

Nondum cum sacer Ordo Carmelitarum, cer-
 tissimè credat ex maiorum suorum tradi-
 tione, & grauiissimorum Doctorum sen-
 tentia, Essenos successores fuisse Elia, & Elisæi, atq;
 adeò ex illis miram illius antiquitatem commen-
 dari: oportet satisfacere alteri Illustrissimi Cardi-
 nalis Baronij obiectioni. Etenim Essenorum fami-
 liam si Plinio lib. 5. naturalis historię cap. 17. & So-
 lino cap. 36. credendum est, planè compertum erit
 antiquissimam esse: id enim Plinius præfato loco
 de Essenis tractans, his verbis scriptum reliquit: *Per
 seculorum millia, incredibile dictu, gens aeterna est, in
 qua nemo nascitur.* Solinus quoque, fidelis Plinij
 imitator, ferè eisdem verbis Essenorum antiquita-
 tem commendans dicit: *Itaque per immensum spa-
 tium seculorum, incredibile dictu, aeterna gens est ces-
 santibus puerperis.* Hæc Solinus. Nihilò leuius ta-
 men doctissimus Baronius Tom. 1. annal. anno Chri-
 sti 64. cap. 6. 7. & 8. Plinio, & Solino dicentibus,
 Essenorum sectam per multa sæculorum millia ex-
 titisse, minimè credendum existimat, ea ratione
 ductus, quia qui res Iudaicas sunt prosequuti, tam
 antiquam originem Essenis non tribuunt: quare
 ipse vel post Christum, vel paulò antea, tempore
 Herodis maioris, viros hos claruisse autumat: nulla
 enim, vt ipse ait, antiquior apud Iosephum, de eis
 habetur memoria: ego tamen contrarium reperio,
 ipseq; apud Iosephum, eadem ferè verba, quæ apud
 Plinium, & Solinum potuit facilè inuenire. Is enim
 lib. 18. antiquitatum Iudaicarum cap. 2. de sectis
 Iudæo-

Indæorum agens: sic loquitur: *Iudæi patria sapientia studiosi, iam inde à multis retro sæculis in tres sectas erant diuisi, Essenorum, Saducæorum &c.* Idemq; *Idem.*
 author *lib. 13. cap. 9.* docet, tempore Ionathæ Pontificis, & Antiochi Regis, has etiam sectas floruisse: quod & tradit Genebrardus *libr. 2.* anno Mundi 3944. hoc est 143. anno ante Christi aduentum, imò neque ibi apud Iosephum eorum initia expressè recensentur, sed potius in confuso adnotantur, *multis retro sæculis* incepisse, quæ verba tempora longissima denotant: quare id certum videtur, eos à sanctissimis Prophetis *Elia, & Eliseo* originem ducere, idque in primis probo ex Genebrardo viro *Idem.*
 grauissimo *lib. 1. Chronolog.* anno Mundi 3272. *Elisæus, (ait) construxit cellas Prophetis in Hiericuntis solitudine: inde manauit institutum, & loci Religio ad posteros, fuitq; desertum hoc vsque Engaddi ab Essenis habitatum, hominibus continentia incredibilis.* Eodemq; loco habitasse Essenos, nempe in desertis Hierico, Plinius, & Solinus, vt supra, senserunt, & quamuis Genebrardus expressè non affirmet, *Essenos ab Elisæo* Propheta immediatè in monastica disciplina fuisse institutos, clarè tamen docet, ab ipso, siue à *prophetica sua familia* ortos fuisse; idq; colligitur apertè ex Nicephoro *lib. 2. Ecclesiastica historia cap. 15.* qui de *Essenis* disserens: *Eos, Idem.*
ait, vitam propheticaam flagranti, atque feruenti fide meditari, atque amulari. Quæ est igitur hæc prophetica vita, nisi ea, quam *Elia, & Eliseus, Filyq; prophetarum* coluere? in huius vero rei confirmationem argumento vtar in hac materia validissimo. *Philo.*
 Nam *Esseni* de quibus *Philo, & Iosephus,* vt infra dicemus, plura admiratione digna scripserunt: fuerunt à *D. Marco* in *Ægypto* legibus, & institutionibus *Euangelicis* imbuti, alijsque *Canonibus, & obseruantijs monasticis* instructi, vt post *Nicephorum, & Eusebium lib. 2. cap. 15. & 16.* & *Hieronymum* de scriptoribus *Ecclesiasticis* in *Marcum,*
 com.

Niceph. communis tenet Catholicorum sententia, qui etiam censent, ab his *Marci* discipulis Christianorum Monachorum postea in Ægypto, & Palæstina agmina descendisse, ut & *Nicephorus* cap. 15. & expressius cap. 16. illis verbis significavit: Cum ad hodiernum usque diem, non apud alios quàm apud nostros homines, regulas tales, viuendiq; mores conseruari compertum sit, & libr. 8. cap. 39. prope finem. Equidem ab illis Ægyptijs tantopere hoc viuendi genus inualuisse conijcio. quæ ferè verba habentur

Sozomen. apud *Sozomenum* lib. 1. cap. 11. & *Eusebium* lib. 2. cap. 15. & 16. erudite etiam *Cassianus* lib. 2. cap. 5. id

Euseb. demonstravit, dicens: Nam cum in primordijs fidei pauci quidem, sed probatissimi Monachorum nomine censerentur, qui à beata memoria *Euangelista* *Marco* normam suscepere viuendi, &c. & infra: Ea igitur tempestate cum Ecclesia illius primitiua perfectio penes successores suos adhuc recenti memoria inuiolata duraret. quibus manifestè ostendit disciplinam à *B. Marco*, primis illis *Euangelicis* Monachis traditam, usque ad sua tempora perdurasse, idque & fortè expressius in præfatione ad *Castorem* prope finem indicavit, dicens: Secundum eam, quam vidimus

Idem. Monasteriorum regulam, per Ægyptum, & Palæstinam antiquitus fundatorum vel adijciam, vel recitam: nequaquam credens rationabilius quidquam, vel perfectius constitutionem nouellam in occidentis Galliarum partibus reperiri potuisse, quam illa sine instituta, quibus ab exordio prædicationis Apostolica à sanctis, & spiritualibus Patribus fundata Monasteria ad nos usque perdurant. Hactenus *Cassianus*. Placet igitur *Cassiano*, *Eusebio*, *Nicephoro*, & alijs Ægypti Monachos in professione, *Essenis*, hoc est discipulis *B. Marci* successisse.

Idem. Porro argumentum, (ut ad propositum redemus,) hac ratione formare licebit, *Cassianus* lib. 1. de institutis renunciantium, ferè per totum, Monachos Ægypti, & Palæstinæ ab *Elia*, & *Eliseo*, *Elijæ* Prophetæ

Prophetarum originem ducere, sæpe docet, ac re-
 petit, cui subscribunt Nicephorus *lib. 8. cap. 39.* *Niceph.*
 Sozomenus *lib. 1. cap. 11.* & Hieronymus ad Rusti- *Sozomen.*
 cum, & Paulinum, ergo si *Ægyptij Ascetæ*, siue *Hieron.*
 Monachi ab *Elia*, & *Elisæo* ortum habuerunt, & hi
 præterea ab *Essenis* disciplinam suscepere viuendi,
 eorumq; successores extiterunt, necessario faten-
 dum erit, *Essenos* etiam ab *Elia*, & *Elisæo*, siue *Filijs*
Prophetarum, eorum successoribus promanasse:
 quod præterea demonstrat nominis *Ethymologia*;
 nam licet demus *Essenos* à vitæ sanctitate esse nun-
 cupatos, quod voluit Chrysostronus *homilia 44.* in *Chrysostr.*
 Acta Apostolorum, idque Philo in libro, cuius titu- *Philo.*
 lus est, *quod liber sit probus*: apertè significat, tamen
 si nominis *Ethymologia* attentè consideretur, *Es-*
senos, siue *Esseos*, vt alij volunt, ab *Elisæo* potius di-
 ctos, quasi *Elisenos*, verius apparet, quæ denomina-
 tio placuit etiam doctissimo Henrico Enriquez,
 nostri temporis authori graui, ac perdocto in se-
 cundo Tomo *lib. 12. cap. 5.* in Glossa littera B.

CAPVT X.

*Refelluntur illi, qui ex certis S. Scriptura locis perpa-
 ram intellectis durationem huius Ordinis
 Carmelitani conantur euertere.*

Decimam obiectionem vt conuellam, præ-
 supponere oportet, inter alia pleraq; magni
 momenti priuilegia, quibus B. Virgo sa-
 crum Carmelitarum Ordinem cohonestauit, illud
 singulare esse, quod ex ipsius *DEIPARÆ* cœlesti
 oraculo Ordo hic in finem Mundi duraturus sit:
 etenim Philippus Macerius, & Ioannes Fauentinus *Philippus,*
 in *vita S. Petri Thoma* huius Religionis obseruan- *Macer.*
 tissimi Professoris, affirmant, quod, illo à Beatissi- *Ioan. Fa-*
 ma Virgine postulante, vt suum conseruaret Ordi- *uentinus,*
 nem, Marianum oraculum responderit: *Vsque in fi-*
nem Mundi, Petre, Religio Carmelitarum perman-
bit.

bit. Nam Elias illius institutor, Filio meo apprensus, in transfiguratione id etiam postulavit, & impetravit. Congruentem autem huius durationis eam crederem esse rationem, quod huius antiquissimæ Religionis author Elias adhuc viuat, vt multæ sacræ

Malach. 4. Scripturæ testimonia comprobant Malach. 4. Et Eccles. 44. clesiast. 44. & 48. Apocal. 11. & Matth. 17. venturusq; sit in fine Mundi, vt Christi Ecclesiam defendat, & publicè contra Anti-Christum, à quo est in-

Apoc. 11. terficiendus, prædicationis vocem exaltet: rationi ergo consonum est, vt huius Religionis alumni,

Carmelites associati S. Elia pugnabūt contra Antichristum. tanquam legitimi Elia filij, in aduentum eius conseruentur, vt pariter cum illo sub tanti Ducis vexillo, contra Anti-Christum acriter dimicent, fideles doceant, debiles confirmet, ac tandem Christi gloriam, & honorem tueantur.

Deinde, nonne rationi consonum est, vt Religio alicuius tamdiu saltem duret, quamdiu durat patronus, & institutor illius? Si ergo huius Religionis parens Elia adhuc viuit, viuetq; vsque in mundi finem, vt sacra testantur eloquia, congruit sanè sacrum hunc Ordinem vsque in Mundi finem durare. Quare in alumnos huius sacræ Religionis, qui & à Rechabitis originem trahunt, ad amulsum mihi

Hierē. 35. conuenire videntur verba Hieremiæ 35. Domui autem Rechabitarum dixit Hieremias, hac dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quod obedistis præcepto Ionadab Patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepi vobis, propterea hac dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab, filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus: Certè non defecit hactenus de stirpe Elia, neque in posterum deficiet multiplex successor: etenim ab Elia raptu, vsque ad tempus primitiæ Ecclesiæ, continuata fuit per Prophetarum filios, aut per eos Religiosos, qui Esseni, vel Elissenii ab Eliseo appellati sunt, à quo tempore, vsq; ad annum 400. in quo fuit Ioan. Patriarcha

Hiero-

Hierosolymitanus, eadem via nunquam fuit interrupta: à tempore verò huius Patriarchæ, vsque ad *Aymericum* Patriarcham Antiochenum, qui fuit anno 1120. perduravit: quo tempore multa in Ægypto, & Syria fuere Cœnobia huius Religionis, quæ à summis Pontificibus *Leone IV. Adriano II. Leo IV. Stephano V. Ioanne X. & XI. Gregorio V. Sergio IV. Adriã. II. Alexandro II. & Gregorio VII.* fuerunt maximis *Steph. V. Ioan. X. Aymerico,* qui regulam, quam tradiderat *Ioannes & XI.* Patriarcha, è Græco in Latinum transferre curavit, *Greg. V.* vsque ad *S. Albertum* Patriarcham Hierosolymitanum, qui fuit anno 1171. etiam permansit. Is Regulam religiosam tradidit breviorē quidem, sed perfectissimam & arctissimam. Sic mansit Religio vsque ad *Innocentium IV.* anno 1248. à quo petierunt Religiosi, ut in quibusdam mitigaret regulam: quod quidem factum fuit in quibusdam rebus parui momenti; mansit tamen in suo rigore: Hac vero ratione perseveravit vsque ad *Eugenium IV.* anno 1431. cum autem animaduernerent Religiosi, regulam *S. Alberti* esse asperrimam, & arctissimam, supplices rogarunt, ut eam temperaret: annuit ille, duravitq; hæc mitigatio in tota Religione vsque ad annum 1562. quo tempore adueniente singulari illo, ac stupendo diuinæ gratiæ prodigio, inclyta scilicet Virgine, ac viragine *B. THERESIA* ad pristinum illum ac rigidum statum omni ex parte reduxit.

Nec quidquam nocent huic sacre Religionis canini maledicentium latratus, qui quibusdam sacre Scripturæ locis perperam intellectis, durationem huius Ordinis in finem Mundi, in hunc modum lacerare moluntur; obiectant illud Hieremiæ: *Aspexi, & ecce Carmelus desertus, & omnes vrbes eius destructæ sunt.* At quis non videat hic sermonem esse non de Religione Carmeli, sed de Iudæa, quæ, ut ibi adnotat noster *Lyranus,* in Carmelo denominata

nominata est, eo quòd erat locus fertilis, & amœnus. Deinde sagittam aliam aduersus eandem mittunt, ex pharetra Amos depromptam, qui *cap. 1.* ait:

Amos 1.

Exsiccatus est vertex Carmeli: quasi vaticinari voluerit per hæc verba, exsiccandum, & extinguendum esse Ordinem Carmelitanum; sed & hoc ineptè dici, nemo tam mentis inops est, qui non agnoscat, nam ibi Propheta inter supplicia futura Populo Dei, commemorat Montem *Carmelum*, alioquin vberimum, & multis fontibus, & riuis affluentem, exsiccandum esse non in totum, sed secundum verticem, vt & verba præcedentia satis indicant: *Et luxerunt speciosa Pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.* Ac tandem telum aliud ex *Isaia*

Isai. 37.

conijciunt *cap. 37.* *Succidam saltum Carmeli,* quod impletum fuit, quando Saraceni *Carmelum* inuadentes, permultos habitatores eius extinxerunt: sed nec hæc obiectio quidquam prodest; primò, nam verba illa, non sunt Dei, nec ad Religionem *Carmeli* diriguntur, sed sunt Regis Sennacherib, qui minabatur deprædaturum Montem *Carmelum*, in quo magna erat pecorum, copia ibi pascentium. Non obstante autem Saracenorum cruenta persecutione, Monachi *Carmeli* sine defensione defensi, sine munimine muniti, & in eremò, incolumes solius orationis, silentij, spei, pacis, & charitatis vallo constipati, cœlestem vitam agebant. Vnde

Isa. 632.

Isa. postquam cap. 32. prædictæ persecutionis populi Dei meminerat, subdit hæc verba: Et erit desertum in Carmelo, & Carmelus in saltum reputabitur; & habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmelo sedebit. Et erit apud iustitia pax, & cultus iustitia silentium, & securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenti. Licet enim temporibus Iudaicarum captiuitatum esset desertum in *Carmelo*, ita vt in saltum vereretur; populus tamen monachorum illic commorantium

morantium faciebat in solitudine illa iudicium Dei, & seruabat in Carmelo iustitiam, de qua dictum est: *Iustitia iusti saluabit illum.* Ecce opus eorum erat pax, qua vnanimis ad inuicem, se diligentes, summa animi tranquillitate viuebant, & cultus iustitiæ erat silentium, quo vitabant multiloquia; & securitas, qua à corde fugabant inimicorum tam visibilibus, quam inuisibilibus pauorem omnem; ita erant in corde quieti, & securi, vt cor eorum non reprehenderet eos, & idè confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant semper, non timebant millia populi circumdantis eos, quia Dominus cum illis erat: teste enim Sapiente Prouerbiorum *cap. 16. Cum placuerint Domino via hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Deus enim licet armet vniuersam creaturam ad vitionem inimicorum, amicorum autem suorum, neque permittit capitis capillum perire, atq; adeò cum transeunt per ignem, flamma non nocet illis.

Atque hinc est, quod cum de alijs dixisset Dominus Isaia *cap. 32. Plangite super regione desiderabili, super vinea fertili, &c.* De monachis tamen Carmeli ait: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* *Isai. 32.*

Quod si quispiam dicat, qua ratione credi potest, vt grassante bello per totam illam Carmeli plagam, hostes, immunes relinquerent Monachos multos audiat Mich. *cap. 7.* dicentem: *Terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.* Mox tamen de ipsis monachis subdit: *Pasce Domine populum tuum in virga tua, id est, æquitatis, gregem hæreditatis tua, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli, pascentur Basan, & Galaad iuxta dies antiquos.* Vbi ponderatione dignum est verbum illud: *Gregem tuum.* Nam Gregorius Nissenus de monachis illis, explicat illud Cantic. *Greges tui sicut oues tonsarum, qua ascendent de lauacro, quia naturali ouium colote quorum* *Greg. Niss.*

rum lanis induebantur, incedebant; & illud: *Habitantes solos in saltu, in medio Carmeli*: per solos significat Monachos, quia Monachus idem est, quod solus, vel vnus. Adde vltcrius ad explicandum loca in quibus docetur *Carmelum* fuisse desertum, & efficcatum, de persecutionibus Saracenorum intelligi posse. Etenim vt tradunt Trithemius de laudibus Carmelitarum *cap. 8.* Paulus Morigia de origine Religionum *lib. 1. cap. 30.* Carolus Tapia super authent. ingressi, verbo *Monasteria, cap. 17.* duplici via fuerunt Carmelitæ sæpius vexati: primo a *Chydroa* Rege Persarum circa Domini 614. qui cum caperet Syriam, etiam Hierusalem occupauit, & ferè omnes Monachos, quos in finibus illis inuenit, gladio percussit, præcipuè in deserto *Carmeli Iordanis*, & montis *Neroi*, inter quos fuit specialiter insignis martyr *S. Anastasius* Persa, de quo agitur officium die 23. Ianuarij, & cum illo turba multa Monachorum *Carmeli, Iordanis*, & montis *Neroi*. Licet autem *Heraclius* Imperator, postquam *Chydroam* deuicxit, quamplurima monasteria reparauerit circa annum tamen Domini 636. surrexit secunda Carmelitarum persecutio ab *Humar* Rege Arabiæ, & Mahometi discipulo, qui totam terram Sanctam, Syriam, Phœniciam, & Palæstinam suo Imperio subiugauit, quo tempore, (vt refert *S. Pater Cyrillus* Græcus Tertius Latinorum generalis in *epist. ad Abbatem Ioachim cap. 7. & 8.*) in *Carmelo* pauci Monachi remanserunt superstites, quia Rex *Humar* biliosa tabie in Carmelitas acerrime inuehebatur. Hæc oppressio durauit vsq; ad tempora *Caroli Magni* Rom. Imperatoris: tunc Saraceni ægrè ferentes, quod Carmelitæ illi, sicut eorum Sacerdotes & Satrapæ, vestibus albis induerentur, vi compulerunt illos, vt vel album amictum deponerent, vel è finibus eorum exules recederent, qui, ne antiquam *Elia*, & *Elisæi* hereditatem & successionem in illis amitterent, elegerunt vestes

Trithem.

Paul.

Morig.

Carol.

Tapia.

S. Cyrill.

vestes albas in variegatas mutare ad imitationem illius, quam *Elias* imit *Eliseo*. Duravit hæc habitus mutatio vsq; ad tempora *Honorij IV.* qui habitum violenter eis a Saracenis ablatum, continuò restituit. Illo calamitoso tempore maximos labores pertulit Carmelitana Religio, adeò vt omnes Carmeliticæ Religionis historiographi referant ab anno 636. vsque ad ann. 1290. gladio impiorum occubuisse Monachos *Carmeli* centum quadraginta millia Martyrum, de quibus non obscure loquitur *Nicolaus de Lyra* super *Apocalypsim c. 14.* vbi ait *Humar* Regem Arabiæ obtinuisse sibi Syriam, Cili-
 ciam, Africam, & Hispaniam, in quibus erant, quam plurima monasteria Monachorum, & Virginum, & ex eis 140. millia Martyrio affecisse; omnes autem istos Monachos & Virgines, sub *Elia* Patriarchæ disciplina vixisse, nullus potest ambigere, cum tunc non esset alius in Oriente Monachorum agnitus Pater, cui possent hi filij adscribi, prout sancti Patres frequenter docent. Circa annum autem Dom. 1126. *Calo Ioannes*, siue, *Con-
 nenus*, Græcorum Orientis impijssimus Imperator, vt refert *Otho Frisingensis lib. 7. cap. 28.* & *Hieronymus Romanus Augustinianus l. par. lib. 5. c. 10.* cepit Carmelitas, qui quasi semen Dei in *Carmelo* remanserant, ita affligere, vt cum contra Mauros inueheretur, nec voti compos euasisset, in Religiosos Carmelitas, omnem suam euomit rabiem, quosdam flagellando, alios in exilium eijciendo, multos occidendo. Circa annum verò Domini 1200. tempore Sancti *Cyrilli III.* Prioris Generalis Latinorum, iterum fuit a Saracenis magna ex parte euerfa Carmelitana Religio in monte *Carmelo*. Dixi magna ex parte, & non funditus, quia circa annum Dom. 1500. *Baptista Mantuanus*, & alij auctores testantur, post annum 1500. in monte *Carmelo* perseuerasse adhuc aliquos Monachos Carmelitas, & tunc potest optimè verificari illud *Isaiæ*:

*Nicolaus
de Lyra.*

NOTA

*Calo Ioã.
Otho Fri-
singensis.*

Mantuanus

*Isaias.**Eccl. 44.**Offic.
S. Mariae
de monte
Carmel.*

Et ecce Carmelus desertus. Nihil ergo Propheta Dei aduersus hanc sacram Religionem somnauerunt, imò in omnes eius filios præclare mihi conuenire videntur verba illa Ecclesiastici 44. Hi sunt viri misericordia, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hereditas sanctorum nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos vsque in æternum manent, semen eorum, & gloria eorum non derelinquentur. Sanè Beata Virgo non dereliquit, sed speciali sua protectione eos mirificè fouit. Nam vt legitur in officio, à Sede Apostolica approbato SS. Virginitatis MARIÆ de monte Carmelo, lectione 5. Cum etiam in Europa Ordo hic esset ignotus, & ob id apud Honorium III. non pauci pro illius extinctione instarent, assistit Honorio noctu purissima Virgo MARIA, & nequæ iussit, vt institutum, & homines benignè conseruaretur. Ex quibus clare innotescit, quam sollicitam curam Beatissima Virgo semper gesserit de augmento, & conseruatione huius sacrae Religionis.

CAPVT XI.

Probatur B. Ioannem Baptistam huius Eliani instituti verum fuisse professorem.

VNdecimò nonnullos audio irridere, Carmelitanum Ordinem gloriari, quod D. Ioannem Baptistam inter professores Eliani instituti, & monasticæ illius disciplinæ connumeret. Putant enim Ioannem minimè fuisse Monachum, sed hos irrisores merito irrideo ego, cum et sanctis Patribus aperte colligatur, D. Ioannem Baptistam fuisse Monachum, & Monachum Carmelitanum; sanè quod Monachus fuerit, expressè restatur D. Hieronymus ad Eustochium de seruanda continentia, Chrysostomus Hom. 1. in Marcum, S. Bernardus in sermone de excellentia Ioannis Baptistæ.

*D. Hiero.**S. Hiero.*

S. Isidorus *lib. 2. de officijs, cap. 11.* Cassianus *collatione 18. cap. 7.* & *lib. 1. de institutis renunciantium, cap. 2.* Sozomenus *lib. 1. historiarum,* qui omnes Ioannem Baptistam vocant *Principem Monachorum* primitiue Ecclesie: si autem Monachus fuit, cum ratione ipsa valde coharet, fuisse professorem *Eliani* instituti, cum & incola fuerit montis *Carmeli*, & *Eliam* in omnibus adeo imitatus fuerit, vt diuino Christi oraculo dictum sit venisse illum in spiritu *Elie*, & in monte *Carmelo*, & iuxta Iordanem habitauerit. Vnde sine dubio ipse vitam egit in desertis illis locis, inter filios, *id est*, Discipulos Prophetarum, qui Monasticam *Elie* disciplinam profitebantur; nam illi, vt testantur D. Isidorus *lib. 2. de officijs, cap. 15* & Hieronymus ad Paulinum, habitabant iuxta Iordanem; vnde Nicephorus Callistus *lib. 18. Ecclesiasticæ historiæ cap. 30.* refert, Reginam *Helenam* duo templa ædificasse, vnum in honorem *Elie* in planiori quadam parte montis *Carmeli*, alterum verò in honorem *S. Ioannis Baptista*, in inferiori parte eius, ad Iordanem respicientem, quia in illis locis Patres illi morati fuerant.

D. Isidor.
D. Hiero.
Niceph.
Callistus.

Sed vt magis innorescat Ioannem Baptistam *Eliani* instituti professorem fuisse, audiamus D. Hiero-
nimum in commentario super Matthæum: IOANNES (inquit) ELIAS dicitur, non secundum stultos Phariseos, & quosdam hereticos, qui reuersionem animarum introducunt; sed quia iuxta aliud testimonium Euangelij, venerit in spiritu, & virtute *Elie*, & eandem Spiritus sancti, vel gratiam habuerit, vel mensuram; sed & vite austeritate, rigoreq; vita *Elie* & Ioannes pares sunt. Vnde Ambrosius in epistola ad Vercellenses *cap. 14.* in hunc modum loquitur: Cum ergo venit sacri plenitudo temporis, fuit ad dictos Monachos in desertis, missus homo ille à Deo, cui nomē erat Ioannes, scilicet Baptista, monastica vita eremitica, ab *Ela* instituta, cultor eximius. Ambo enim

D. Hiero.

D. Ambr.

Matt. 17.

tam Elias, quam Ioannes fuerunt indumentis bispidis induti, luxu casti, victu frugi, conuersatione solitarij, & deserta iugiter sequuti: fuerunt etiam electi per Deum praecursores Christi, Ioannes quidem aduentus primi, Elias vero ultimi, dicente Domino:

Luca 7.

Elias quidem venturus est, & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eum quaecunque voluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis, & propterea Sacerdotes, & Leuita, ab Hierosolymis per Iudeos ad Ioannem missi, intuentes, eum in omnibus conuersationem monastica

Ioan. 44.

vita Eliae praecipue sequi: quarebant ab eo, si ipse erat Elias, quoniam sicut Angelus Gabriel de eo praedixerat: venit in spiritu, & virtute Eliae, ad exemplum cuius, domo sui patris, & terrenis opibus derelictis, conuersatus fuit iugiter in desertis: & ad instar illius vinum, & siceram non bibens, habuit ad imitationem eius vestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, vt testatur Mathaeus Euangelista cap. 3. Accedit B. Ioannes XLIV. Patriarcha Hierosolymitanus libr. 2. de institutione Monachorum, vbi id ipsum non semel testatur: sic enim ait: Hinc illi processerunt viri Elias, Elisaeus, & Ioannes, qui pelliceis tunicis, & caprinis induti, inopes, atque egentes, angustijs, & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant. Haec ille. Et ne quispiam dicat, recte potuisse Ioannem in cauernis, & speluncis vitam egisse, absque eo, quod monasticam vitam profiteretur, audiat, quid ipse postea subiecerit: Ideo Christus sciens Ioannem expressam monasticam vitam Prophetae Eliae imaginem gerere, dixit tur-

Philip.

Hierapol.

Clarius id exprefferunt alij. Philippus Abbas Hierapolit. in comment. super caput primum Ioannis explicans verba illa Miserunt Iudaei, sic ait: miserunt Iudaei ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem Baptistam, habitantem cum Carmelitibus.

melitis Confratribus suis in Eremo prope fluentia Iordanis. Paleonydorus lib. i. de orig. & progr. Ord. Carm. cap. 2. Secundus, inquit, status eiusdem Ordinis fuit tempore legis gratia, quando Ioannes Baptista venit in spiritu & virtute Eliæ, cum Carmelitis circa Iordanem in solitudine conuersatus, & ab eis in eodem Conuentu in Superiorem & Magistrum assumptus. Bapt. Mantuanus lib. 6. de sacris diebus tractans de S. Ioannis Baptista pueritia & eius, in solitudine, vitæ instituto, ita cecinit:

*Et memor HELIÆ nemora, & syluestria gressia
Per loca soliuago primis habitauit ab annis,
Et modo CARMELO residens in monte virorum
HELIADVM saltu, qui versabantur in illo,
Discebat mores, & delectatus eorum
Religione, diu gelidis habitabat in umbris,
Et modo Iordanem propter, si rosida prata,
Si vidisset humum curua in conualle virentem
Et vacuum sine teste locum, sine voce silentem
Stabat, & esuriem tenui sedasse locusta
Dicitur, ignorans adipem, siceramq; merumq;
Angelus &c.*

*Et lib. 8. agens de sepultura illius inquit:
Tunc caput ablatum, tunc aduenere Nepotes
HELIÆ viuentis adhuc, raptumq; cadauer
Adiunxere suis PATRIBVS, tumuloq; dedere,
Atq; duos inter VATES posuisse feruntur,
Scilicet ABDIAM, Carmelicamq; HELISÆVM.*

*Ex quo colligere licet Carmelitas, siue Essenos,
Ita quippe tunc appellabantur, Ioan. Baptista fuisse
discipulos, cum Euangelium dicat, quod Discipuli
eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt
illud in monumento. Transeo aliorum complu-
rium & grauissimorum Authorum de Mo-
nachismo Ioan. Bapt. præclara
testimonia.*

CAPVT XII.

*Candida vestis externum habitum ab ELIA
instituto promanasse.*

Hier. Rō.

DVodecimò, redeo ad importunum illum
auctorem Hieronymum Rom. qui tanta
efferbuit libidine impugnandi sacram Car-
melitarum Religionem, vt in eodem defensorio
contendat, habitu, quo vtuntur, illos expoliare, di-
cens: falsum esse, album colorem pertinere ad ha-
bitum eorum, eo quod *Elias* pallio albo vsus fuerit
hoc enim affirmat, in nullo fide digno libro inue-
nire potuisse, sed id ego diligentior inueni, nam in

Ioan. 44.

Patriar.

Hierosol.

primis *Ioannes XLIV.* Patriarcha Hierosolymita-
nus libro de *institut. Monachorum cap. 40.* post-
quam dixerat: *Docuit ELIAS Monachos, hanc Reli-
gionem profitentes, debere pallio superuestiri albo.*
Postea subdit hæc verba: *Qui ELIAM, velut mona-
sticè viuendi exemplar, erant imitaturi, in ardore ne-
dum mentali sincera puritatis, sed etiam corporalis*

Trith.

Abbas.

habitus albi eos desuper regentis. Trithemius Abbas
de laud. Carmelit. cap. 6. id ipsum in hæc verba con-
testatur: *Color autem ipsius habitus albus fuisse dici-
tur, per quem interior Fratrum mundicia, & puri-
tas assignatur, tali Eliam pallio amictum fuisse tra-
dunt; tali habitu incessisse Elisæum, & filios Prophe-
tarum.* Addit S. Epiphanius in vita *Elia*, hoc genus
albi habitus, quo Religiosi eius vti debebant, in
visione diuinitus Patri eius fuisse monstratum, ver-
ba eius sunt hæc: *Quem, id est, Eliam, cum eniteretur
parens eius, eiusmodi Sabach patri suo visio apparuit,
viri niueum quendam præferentes habitum, &c.*

S. Dorothe.

Refert idem S. Dorotheus in vita *Elia*; dum ait:
*Cum nasciturus esset Elias, pater eius Sabach
vidit illum ab Angelis albicantibus
salutari.*

CAPVT XIII.

Non ob stare Antiquitati huius Ordinis præcedentiam aliorum Ordinum mendicantium.

Decimotertiò, quidam scioli obijciunt, quod si tanta esset antiquitas Ordinis Carmelitani, reuera in actibus publicis deberent Carmelitæ præcedere, & præferri aliorum Ordinum Religiosis: è contra tamen fit, quod Prædicatores, Minores, & Augustiniani eis præferuntur in capella Summi Pontificis, & in publicis processionibus. Huic obiectioni congruè satisfacit speculum Ordinis Carmelitarum *Tractat. super informatione B. Mariæ de monte Carmelo artic. I.* ubi hæc verba lego: *Prædicatores, & Minores tempore Innocentij Pape III. in Cismarinis partibus, videlicet in Tholosa, & Assiso inceperunt, qui continuo per diuersa regna Cismarina multiplicati, ac prædicationibus, & doctrinis, in hominum frequentia laudabiliter insistentes, statim post suam foundationem habebantur venerabiles, & famosi. Fratres verò prædicti B. Mariæ de monte Carmelo, primum tempore Innocentij IV. Papa propter persecutionem Saracenum in terra sancta, ubi ipsorum Religio fundata fuerat ab antiquo: ad partes Cismarinas se transferentes potius extra ciuitates, & frequentiam hominum, modo eremitico, quo fecerant in terra sancta, quàm intra ciuitates cum hominibus habitare elegerunt per tempora longiora. In cuius euidentiam prædicti Fratres conuentus suos, quos primo fundauerant in partibus Cismarinis, remotè à ciuitatibus, & frequentia hominum construxerunt. Qui postea per tempora longiora doctrinis, & prædicationibus, utilitatè proximorum proficere cupientes, intra ciuitates, & hominum frequentiam habitare inceperunt, & multorum locorum suorum, quæ fundauerant remotè à*

Yll 5

ciui-

Concil.
Lugd.

ciuitatibus, translationem ad ciuitates à Summis Pontificibus impetrauerunt. Et idè Prædicatores, & Minores, tanquam prius in hominum frequentia conuersantes, & magis, & prius noti præponuntur dictis Fratribus Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo. Hæc ibi. Non obstante autem prædicta præcedentia, Ordo Carmelita tanta fulget antiquitate, ut de ipsius vetustate in iure non extet memoria; cum tamen de illa mentionem faciat: etenim in decreto Lugdunensis Concilij, prohibente ne Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense adinuenti, ulterius procederent absque Sedis Apostolica facultate; postea verò facit hanc exceptionem in hæc verba: Sanè ad Prædicatorum, & Minorum Ordines propter eorum euidentem Ecclesia utilitatem, presentem non patimur constitutionem extendi: ceterum, Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Generale Concilium præcessit, in solido statu volumus permanere. Hæc ibi. Ex quibus apertè constat, quòd si tunc Religio Carmelitana non censeretur à Concilio Lugdunensi approbata, reuera per suum generale decretum illam extinxisset, & quamuis quidam dicant, non esse legendum in solido, sed in solito, nihil prorsus refert hoc, vel illo modo legi, quia si solitus eius status non fuisset approbatus, minimè Concilium pateretur illum ultra progredi, cum & approbatas Religiones post Concilium Lateranense omninò deleuerit. Ecce fatetur, Concilium Lugdunense præcessisse Religionem Carmelitarum Concilium Lateranense, nec assignat certum tempus sui processus.

CAPVT XIV. & VLT.

Stabilitur priuilegium Bullæ Sabbatina, quo asseritur primâ à decessu Sabbatina die Confratrum huius Ordinis animas, B. MARIA virginæ intercedente à pœnis purgatorij liberari.

AD extremum, vt vltimæ quorundam ob-
 trectorum obiectioni satisfaciam, ob-
 seruandum est prius, quod Sancta Dei Ge-
 nitrix, ac perpetua Virgo MARIA, post obitum
 fratrum, sororum, confratrum, & consororum
 Carmelitarum Ordinis, prima die Sabbati animas
 eorum, earumq; in Purgatorio persistentes, suis
 intercessionibus à pœnis illius liberat, vt ipsa
 Beatis, Virgo pollicita fuit *S. Simoni Stoch.* Priori
 Generali Ordinis Carmelitarum. Hoc singulare
 priuilegium multi impugnant, sed immerito, quia
 Summus Pontifex *Ioannes XXII.* in Bulla, quæ *Ioã. XXI*
 incipit: *Sacratissimo*, data Auenioni 3. die mensis
 Martij anno 6. sui Pontificatus, his verbis illud con-
 firmavit: *Istam ergo sanctam Indulgentiam accepto,*
roboro & in terris confirmo, sicut propter merita Vir-
ginis Matris Christus concessit in cœlis. Meminit hu-
 ius Bullæ *Paleonidorus lib. 3. cap. 11.* vbi obiter ob-
 seruatione dignum arbitror, quod in eadem Bulla
 fatetur ipse Pontifex, B. Virginem sibi apparuisse,
 ac dixisse: *Propter deuotionem, quam erga me ha-*
bes, ab aduersario tuo te liberabo, & ad iupremum
dignitatis Ecclesiasticæ culmen te promouebo: in
cuius rei recompensationem volo te beneuolum
exhibeas erga Fratres meos Filios Elia, & inter alia
præcepit, vt Indulgentiam hanc Sabbatinam per *Alex. V.*
propriam Bullam confirmaret. Eandem etiam po-
stea acceptarunt, & confirmarunt Alexander V.
in Bulla, quæ incipit: Tenore cuiusdam priuilegij
felicis recordationis IOANNIS XXII. Clemens VII. Clē. VII.
 In Bulla,

in Bulla, cuius principium est, *Dilecti filij*, data in Vrbe veteri, die 15. Maij, anno 1528. vbi hæc verba habentur; *Die, quo à saculo huiusmodi Purgatorium accesserint, ipsa Virgo gloriosa Dei genitrix MARIA, Sabbato sequenti post ipsorum confratrum, seu Religiosorum ac sororum obitus, visitando, à pœnis Purgatorij huiusmodi eorum animas liberabit.* Eandem etiam Indulgentiam confirmavit Gregorius XIII. in Bulla, quæ incipit, *Vt laudes Gloriosissima Virginis Mariae.* Ac tandem Academia Salmanticensis, exploratis Apostolicis his Bullis, declaravit, validam esse hanc Sabbatinam Indulgentiam, & in suo robore semper permanere, nisi per Summum Pontificem, aut Concilium aliquod derogeretur, nosq; testamur, insigniorum Doctorum illius Academiae subscriptiones illam approbantes legisse, & vidisse. Quare cum non solum auctoritate tantorum Doctorum, sed expressis Summorum Pontificum oraculis, Indulgentia hæc Sabbatina sit corroborata, & stabilita, non video qua ratione quispiam absque ingenti temeritate illam inficiari queat.

APPENDIX TRACTATVS II.

Complectens Encomia Sanctæ & Seraphicae Virginis ac Matris THERESIÆ à IESV, Carmeli Restauratricis celeberrima.

I. **C**VM occasione tractationis de sacra antiquitate Ordinis Gloriosissimæ Dei genitricis semper Virginis MARIAE de monte Carmelo, in laudes eiusdem Religionis opportunè inciderim, ac hoc eodem tempore celebrata sit sanctæ Matris THERESIÆ, Carmelitici Ordinis alumnae atque *instauratricis*, desideratissima Beatificatio, nec possum, nec debeo eius præconia omnino silentio præterire.

II. Dvo

II. Dvo ego non diffiteor, quæ in simili argu-
 menti genere D. Hieronymus de quibusdam san-
 ctissimis fœminis sermonem faciens, ingenuè fas-
 sus est. Etenim in *epistola ad Eustochium* agens de
 Paula dixit, quod & de B. THERESIA dicere mihi li-
 cet: *Si cuncta corporis mei membra verterentur in*
linguas, & omnes artus humana voce resonarent, ni-
hil dignum de sancta ac venerabilis THERESIAE vir-
tutibus dicerem: nobilis genere, sed multo nobilior san-
ctitate. Verba etiam eiusdem S. Hieronymi in epi-
 stola ad Demetriadem satis utique præsentis argu-
 mento mihi congruere videntur. *Scripturus ait ad*
Demetriadem virginem Christi, quæ & nobilitate, &
diuitijs prima est in vrbe Romana, si cuncta virtuti-
bus eius congrua dixerò, adulari putabor, si quadam
subtraxero, ne incredibilia videantur, damnum lau-
dius eius mea faciet verecundia. Quid igitur faciam?
quod implere non possum, negare non audeo. Hæc ille.
 Non dissimiliter si magnalia huius inclytæ Virgi-
 nis prædicauero, incredibilia proferre iudicabor: si
 autem hoc timore concussus, portenta illius reti-
 cuero, laudibus eius iniuriam irrogabo: *Quid igitur*
faciam? (aiebat D. Hieronym.) *quod implere non*
possum, negare non audeo: attente ergo mecum per-
 pendens, quænam verba ex sacris eloquijs ad præ-
 conia huius sacræ Virginis decantanda promerem,
 nulla mihi aptiora visa sunt, quam prophetica illa,
 quæ DEIPARA Virgo de se ipsa protulit: *Beatam me*
dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui
potens est, & sanctum nomen eius. Hoc vaticinium
 multis retro annis impletum nouimus in DEIPARA
 Virgine, vniuerso orbe eam *Beatam* acclamante:
 hodierna vero die impletur pariter in dilectissima
 eius filia THERESIA, quam iure specialis suæ filia-
 tionis, Marianæ virginitatis, & maternitatis legiti-
 mam hæredem fuisse in hunc modum demonstro.

III. SANE sicut communis est sanctorum Pa-
 trum sententia in *caput 1. Luc.* virginitatem, &
 mater-

D. Hier.
ep. ad Eus-
toch. to. 1.

Idem San-
ctus epi-
stola ad
Demetria.

D. Hiero.

Luc. 1.

D. Thom.

maternitatem esse illa magna, propter quæ ait Virgo ab omnibus generationibus *Beatam* se esse prædicandam: vnde D. Thomas in catena ex mente D. Augustini ait: *Virgo non per suam virtutem dicit se beatam prædicandam, sed causam assignat dicens: quia fecit mihi magna, qui potens est: quæ tibi magna fecit? credo, ut creatura ederes Creatorem, formula Dominum generares, ut per te Mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reuocaret.* Hæc ille: ita similiter, ob hæc duo præcipue omnium fidelium generationes Sanctam THERESIAM perpetuo *Beatam* prædicabunt: quod *Virgo* simul & *Mater* sit, *Virgo* immaculata mente, & corpore, & multorum pariter Filiorum fecundissima

D. Paul.**D. Bern.**
super miss.

Mater in CHRISTO, ut loquitur D. Paulus: vnde non immerito in eam conueniunt verba illa Diui Bernardi, de DEIPARA Virgine loquentis: *Nec solum visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore: in quo sanè non solum DEIPARAM Virginem, sed & Beatissimam Trinitatem mihi THERESIA æmulari videtur: nam ut*

D. Nazian.*Isai. 49.*

dixit Nazianzenus *Carminè* in laudem virginitatis: *Prima trias Virgo est, quis autem ignorat, Deum per Isaiam dixisse: Ego, qui alios parere facio, ipse sterilis ero, & non pariens? Ecce Trias pariter Virgo, & Mater esse perhibetur, dum inuiolata, & incorrupta manens, multos filios spiritualiter quotidie parturit. Beata ergo THERESIA, meliora semper charismata æmulata, ut monuit D. Paulus, non solum Virgo inuiolata, sed & fecunda multorum mater in CHRISTO exitit.*

D. Basil.

IV. OBSERVAVI non semel Adam dum fuit in statu innocentia, minime sollicitum de procreandis filijs, nec de successore post se relinquendo: at diuinae legis præuaricator factus, ac propterea corruptionis, & mortalitatis pœnæ obnoxius, vxorem cognouit, & iam propagationis sollicitudo animum eius pullabat, ut his verbis eleganter dixit D. Basil.

lius

lius de vera virginitate : *Quod si non otiose Paradisum, primiq; Adam in eo conspicias vitam, inuenies profecto illum adhuc in Paradiso constitutum opus non habuisse cognoscere uxorem suam. Post prauaricationem verò mortisq; sententiam, post Paradisi amissionem: tunc iam uxorem cognouit suam, ut vita postea mortalitatem prolis successione solaretur. Angelos autem nulla vnquam procreationis cura sollicitauit, quia ingenerabiles, & incorruptibiles erant, at licet physicè multiplicari nequirent, moraliter tamen propagari posse non ignorabant per Virginum multiplicationem, quæ mortali carne indutæ, Angelicam puritatem imitantur, & ipsorum Angelorum ruinas instaurant. Vnde S. Basilus* *D. Basil.*
*libro de vera virginitate dixit: Bonum est coniugium, per quod humana posteritatis inuenta est propagatio, sed melior virginitas, per quam Angelorum re-
 perta est successio: ad hoc ipsum respiciens D. Hiero-* *D. Hiero.*
onymus libro 1. aduersus Iouinianum, versans illa lib. 1. ad-
Genesis verba cap. 9. Crescite, & multiplicamini, & uersus Io-
replete terram, acute, & sapienter dixit: Consideran- *uinian.*
da est vis verbi, & replete terram, nuptia quippe
terram replent, Virginitas Paradisum: atque huc fa-
cit singularis, inaudita, ac ingeniosa expositio
S. Basilij in locum illum Ioannis: Leuate oculos ve- *D. Basil.*
stros, & videte regiones, qua alba sunt iam ad mes-
sem: vbi per messes albas intelligit virgines, & con-
tinentes, quos tanquam selecta grana diuinæ mes-
sis, apta esse dicit ad vacuas Angelorum sedes im-
plendas: & postea inquit: Virginitas vitam nostram
de corruptione, ad sanctitatis gloriam colligit, & gra-
na intra Calorum horrea congregat. Equidem Beata
 THERESIA non solum per seipsam, quæ integerrima semper extitit *Virgo*, sed quia pariter, & *Mater* fuit, innumerabiles Virgines spiritualiter parturiens, intus, & exterius amictu albo induta, quas tanquam spicas, quæ albae sunt ad messem; nunc in Ecclesiæ militantis, postmodum in triumphantis horrea

- horrea incessanter inducit. Quare merito in Be-
tam THERESIAM conueniunt verba illa Sapient. 3.
- Sapient. 3.** *Fœlix, sterilis, & incoinquinata, qua nesciuit thorum
in dilecto, habebit fructum in respectione animarum
sanctarum.* Tot sanctorum Monachorum, & mo-
nialium agmina, per totum orbem terrarum longe
lateque diffusa, quis non videat fructus esse huius
Virginis, ac fœcundæ Matris.
- Genes. 12.** V. OBSERVAVI etiam, quod Genes. 12. de Abra-
ham ait sacer Textus : *Egressus itaque Abraham
tulit Saraim uxorem suam, & animas, quas fecerat
in Haram;* certè fide Catholica docemur: homi-
num animas non fieri ab hominibus, sed à solo Deo
creari, nihilo secius tamen Abraham dicitur ani-
mas fecisse, quia eas conuerterat ad Dominum:
- Paraphr. Chaldaus.** vnde Paraphrastes Chaldaus ad id significandum
legit : *Abraham tulit animas quas subiecerat legi;*
cum ergo B. THERESIA, tot fidelium animas non
solum diuinæ legis iugo, sed Euangelicæ perfectio-
nis disciplinæ subdiderit, merito illam, non solum
Virginem, sed fœcundam pariter Matrem compel-
lare fas erit : vt enim dixit D. Gregorius hom. 3. in
Euang. *Quasi enim parit Dominum, quem cordi au-
dientis infuderit, & Mater eius predicando efficitur,
si per eius vocem amor Domini in proximi mente ge-
neratur.* Hæc D. Gregorius, quibus persimilia sunt
illa D. Hieronymi in Euangelia : *Isti sunt Mater
mea, ait Dominus, qui me quotidie in credentium
animis generant.* Verum audire mihi videor B. TH-
RESIAM dicentem illud Isaia cap. 49. *Quis genuit
mihi istos? ego sterilis & non pariens?* Quasi dicat,
cum ego Virgo sim intacta, quis ex me genuit,
tam ingentem filiorum Sobolem? cui interrogati-
oni, ego hac ratione occurrendum arbitror, cum
Spiritus sanctus ad imitationem Dei parentis vo-
luerit B. THERESIAM Virginis, & Matris honore
cobonestare; certè quemadmodum MARIAM stu-
pendo miraculo fœcundauit, vt filium Dei natu-
ralem

talem conciperet, & pareret iuxta illud : *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi* : ita idem Spiritus sanctus B. THERESIAM alioquin integerrimam Virginem, Matris fecunditate donauit, vt innumeros filios Dei adoptiuos spiritualiter conciperet, & pareret.

VI. Ex qua singulari prærogatiua illam eruo Carmelitanae Religionis miram excellentiam super reliquos Ecclesiae Catholicae monasticos ordines, quod quemadmodum in Christo Domino duplex præfulget generatio, vna æterna, alia temporalis; illa in sinu Patris, hæc in utero Matris; illa conuenit ei, quatenus Deus, hæc quatenus homo; illa fuit à *Patre sine Matre*, hæc à *Matre* Virgine sine *Patre*; ita mirabili quadam proportionem duplicem huius sacrae Carmelitanae Religionis intueor generationem, primam à *Patre sine Matre*, hoc est, à solo antiquissimo *Patre ELIA*, secundam vero, quam propriè regenerationem vocitare licet, à *Virgine Matre*, abique humano *Patre*, à sola scilicet B. THERESIA integerrima Virgine. Opinantur tamen quidam, quod sicut in generatione temporali mundi, diuina sapientia prouidit, vt vir, & femina conuenirent ad procreationem generis humani, ad quem scopum respiciens Dominus dixit : *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi* : & continuo creauit Euam; & sicut in regeneratione spirituali voluit Deus, vt vir, & femina simul concurrerent, CHRISTVS scilicet, & MARIA, ille vt Redemptor, hæc vt ministra Redemptionis, ministrando ei sanguinem, quo solus ipse nos redemit; ita (inquam) quidam pie opinantur, quod in regeneratione cum venerit filius hominis in illa vltima renouatione Ecclesiae, cum fiet vnum ouile, & vnus Pastor, non solum virum, sed & feminam adhibebit, vt neutri regenerationi desit sexus vterque, ELIAM, scilicet, vt testantur sacra eloquia in extremo illo tempore venturum, &

Nota prærogatiua Carmelitanae Religionis, præ alijs omnibus monasticis Ordinibus.

Genes. 2.

Z

B. THE-

B. THERESIAM tanquam Viraginem, ac fortissimam mulierem, quæ ardentissimo diuini honoris zelo, instar ipsius ELIÆ, exæstuans in eius confortio, Antichristi rabiem compescet, arma diripiet, potentiam confringet, ac illustrem de illo victoriam reportabit, vt merito dici possit: *Vna mulier fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.*

*S. Theresia non instituit nouam aliquam Religionem, quam Reuellor dicere B. THERESIA eam mentem fuisse, vt eandem Religionem Carmelitanam, quam professabatur, ad pristinum rigorem primæui sui instituti reduceret. Olim sacri Pontifices illud mitigauerant in nonnullis indulgentes, quæ B. ALBERTI asperissima Regula præferebat. Beata autem THERESIA non veniens soluere legem, sed adimplere cupiens ne iota, aut apicem vllum illius Regule præteriri, renouationem, & reformationem quandam instituit, sicut & in ordine S. Augustini illam fecit S. Gulielmus, & in ordine Sancti Patris nostri Francisci D. Bonauentura, & in monialibus Dominicanis S. Catharina de Senis. Vnde in Bulla Beatificationis eius, non vocat eam Paulus V. alicuius nouæ Religionis inuentricem, sed nouæ reformationis Discalceatorum fundatricem. Sane B. THERESIA filia fuit Ordinis Carmelitani Calceati, ab eo fuit instituta, in eo diuinis fulgoribus illustrata, in eo cœlestem spiritum concepit, ac charismatibus supernis diuinitus fuit præuenta, & à Spiritu Sancto edocta, vt intra ordinem Carmelitanum manens, asperiores, & pauperiores viam ingereret: atque huc facit quod D. Chrysof. *homil. 11.* in Acta Apostolorum quærens, an charitas paupertatem, an vero paupertas charitatem pepererit, respondet in hæc verba: *Videtur mihi, quod charitas paupertatem:* ardentissima igitur charitas, quam B. THERESIA*

B. THERESIA concepit inter moniales Calceatas
 ordinis Carmelitani, peperit paupertatem Discal-
 ceatorum, eiusdem Ordinis, ac plane Apostolicam
 illam viuendi rationem: quare hodierna die anti-
 quissima Carmelitarum Religio merito cum Spon-
 sa in Salomonis epithalamio sibi vsurpare potest
 verba illa: *Omnia poma vetera, & noua seruaui tibi,* Cant. 7.
dilecte mi. In veteri lege obtuli tibi ELIAM; Eli-
 saum, & Filios Prophetarum: hæc sunt poma vete-
 ra in lege gratiæ obtuli Cyrillos, Albertos, Angelos
 hæc sunt etiam poma vetera: obtuli centum, &
 quadraginta millia Martyres, vt testantur Chro-
 nica Tholosana; id referente Iustiniano ordinis
 Prædicatorum, hæc etiam sunt poma vetera: tan-
 dem nunc in nouissimis temporibus offero tibi
 THERESIAM Apostolice calculo beatificatam, ac
 filios, & filias eius; insigni sanctitate præditas: hæc
 sunt poma noua, quæ pariter cum veteribus seruaui
 tibi dilecte mi.

VIII. FILIA igitur est legitima B. THERESIA
 Ordinis Carmelitani Calceati; Mater tamen Dis-
 calceatorum, & reformationis eorum auctrix, &
 fundatrix, adeo vt in eam recte conueniant verba
 Isai. 58. *Edificabuntur in te deserta sæculorum, fun- Isai. 58.*
damenta generationis, & generationes suscitabis.
 recte ait *suscitabis*, quia per mitigationem regulæ
 S. Alberti, quasi emortuus erat, non substantialis,
 sed accidentalis Eliani instituti rigor; Beatâ autem
 THERESIA, diuino spiritû afflata, Euangelicæ suæ
 Reformationis mirabili virtute; illum in Ecclesia
 suscitauit quo autem tempore id præstiterit; quia
 circumstantiam esse reor singulari obseruatione
 dignam, ad commendationem B. THERESIÆ; li-
 ceat mihi in ea parumper immorari.

IX. CVM diuinus Sponsus probe agnoscat;
 Sponsam suam Ecclesiam Catholicam; nisi eius
 auxilio suffultam, ac mirabili virtute præmunitam;
 facile à tot vndique illam infestantibus hostibus

Nota singulari
Dei in Ec-
clesiam
suam, pro-
videntiã.

Ioan. 1.

superandam fore, in eo singularem adhibuit eu-
ram, ut quoties Sathanas per impiissimos homines
Ecclesiam Catholicam oppugnat, toties viros
scientia, ac sanctitate conspicuos provideat, qui
aduersariorum tela acerrimè infringentes, illam
viriliter tueantur. In primordijs legis gratiã insur-
xit *Simon Magus*, qui Spiritus sancti gratiam in-
stat mercium, venalem facere satagebat; sed resti-
tit ei *Petrus* Apostolorum Princeps. Blasphemat
Cerinthus, & *Ebion*, Christi diuinitatem abnegan-
tes, sed *Ioannes Euangelista*, vocem illam intonans:
In principio erat Verbum, & verbum erat apud
Deum, & Deus erat Verbum, quasi vehementi ful-
mine grauiter eos sauciauit. Insultant *Sabellius*, &
Paulus Samosathenus, tres diuinas personas infi-
ciantes, ac inter se illas confundentes; sed confu-
derunt illos *Dionysius Alexandrinus*, & *Gregorius*
Thaumaturgus. Insanijt *Arrius*, filium consubstan-
tialem Patri negans, sed insaniam, ac petulantiam
eius reruderunt SS. *Athanasius*, *Basilius*, *Gregorius*
Naxianzenus, *Gregorius Nyssenus*, necnon trecenti
decem & octo sapientissimi Præsules in Synodo
Nicæna congregati. *Macedonius*, & *Eunomius* pro-
clamant, Spiritum sanctum esse creaturam, sed si-
lentium eis imposuere *Nestharius* Constantinopo-
litanus, *Menas* Antiochenus, *Cyrillus* Hierosoly-
mitanus, necnon *Damasus* Pontifex Romanus, na-
tione Hispanus; *Iouinianus*, & *Eluidius* sacrilego
ausu Dei parentis virginitatem insectantur, sed ad
hæreticis eorum cauillis *Hieronymus*, & *Idepho-*
sus *MARIAM* vindicarunt: *Admanthus*, *Iulianus*,
Pelagius, & alij huius farinæ hæretici, diuinæ gra-
tiæ necessitatem, & humanæ voluntatis liberta-
tem grauiter læserunt; sed *Augustinus*, *Prosper*,
Chrysostomus, & *Hilarius* Arelatensis, antiqui Pi-
ctauensis amulatores, illos validissimè expugna-
runt. Impius *Nestorius* dignitatem Matris Dei Vir-
gini adimere impensè conatus est; sed acriter sacri-
legum

legum illius dogma refutarunt *S. Epiphanius, S. Leo Papa, S. Cyrillus*, & innumeri alij Patres Concil. Ephes. & Calcedonenfis: refricant impudici *Albigenses* hæresim aduersus immaculatam Dei Genitricis Virginitatem, & instar Hydræ multorum capitum nascitur *Manichæus*, sed coercent omnes illos *Dominicus*, & *Franciscus*, ac per celebres eorum filij Angelicus Doctor *Thomas de Aquino*, & seraphicus *Bonauentura*. Desipiunt *Ioannes Hus*, & *Hieronymus de Praga* procacissimi hæretici, errores *Berengarij* aduersus Petri clauis oblatrantis ab Orco suscitantes, sed illos interimunt *S. Vincentius Ferrer*. Beatus *Thomas Waldensis*, ac sapientissimus *Ioannes Capreolus*. Deinde labentibus annis, feliciora tempora successere, hæresibus non inualescentibus, sed silentibus potius, ita vt hæretici obmutuisse viderentur. At, proh dolor, postmodum non valentes ora comprimere, audita illa Euangelica lectione: *Erat Iesus eiciens demonium, & illud erat mutum: infremuit Lutherus*, dicens: *Non sum ego, non sum ego*. Quod rei euentus satis vtique probauit, non esse demonem mutum, sed loquacissimum: etenim extunc cœpit auctoritati sedis Apostolicæ detrahere, indulgentias vilipendere, obedientiam summo Pontifici negare, monasticam vitam execrari, aduersus religiosa vota sibilare, austeritatem vitæ nihili pendere, ieiunia, & carnis macerationem iniuriosa copiose Christi satisfactioni proclamare, sacramenta irridere, ac libidini, & carnis voluptatibus habenas laxare. At diuino numine prouidente contra hoc portentosum monstrum, ac pestilentem eius doctrinam Ecclesiæ bonam partem inficientem, suscitauit Deus spiritum B. THERESIÆ Carmelitici Ordinis calceati monialem, quæ instar Euangelicæ, ac Apostolicæ illius mulieris, quæ (insultantibus Pharisæis aduersus Christum, ac temere assentibus: *In Beelzebub principe Demoniorum eicit* Luc. 11.

Qua ra-
tione S.
Theresia
obuiarit
Luthero,
eiusq. do-
ctrina &
hæresibus.

S. There-
siæ per 20.
annorum
spatium
quotidie
Eucharis-
tiam su-
mit; ap-
probat id
Deus mi-
raculis.

dæmonia) vocem intonuit, qua *Lutheranorum* au-
daciã retudit, & omnes eius hæreses expugnauit,
non solum verbis, & doctrina, vt volumina, ab ea,
diuino spiritu afflante, scripta, Euangelicis instru-
ctionibus referta, *Lutheri* diabolicis documentis
& diametro oppositis, perspicue contestantur; sed,
quod mirabilius est, & ad victoriã de hoste re-
portandã efficacius, & potentius, præclaris suis
gestis, ac heroicis operibus, tam proprijs, quam fi-
liorum suorum, acriter illum profligat; vt in ani-
mum sibi faciendum induxerat Beata THERESIA,
prout in itinere perfectionis ad moniales testatum
reliquit; vnde si *Lutherus* de medio tollere cona-
tus est vitam monasticã; THERESIA monasticã
vitã reformationem in Ecclesiam inducit; si *Luthe-
rus* impudenter spernit ieiunia, vigiliã, & carnis
macerationem; THERESIA, & contra abstinẽ-
tiam a carnibus per totum vitã curriculum præfi-
git; perpetuas orationis vigiliã fratribus suis præ-
scribit, asperrimis vestibus illos induit, nudis pedi-
bus incedere decernit: si *Lutherus* Virginum mo-
nasteria euertit, THERESIA innumera virorum,
& sceminarum erigit, quæ per totum Orbem ter-
rarum diffusa mirificè præfulgent, per *Hispaniam*
primitus, per *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam*, *Pol-
oniam*, *Orientelem*, & *Occidentalem Indiam*,
Persiam, & alias permultas tam Christianas, quam
barbaras regiones: si *Lutherus* imagines sacrile-
go ausu execratur, THERESIA sola imagine Crucis
Christi manu apprehensa, velut euaginato ense,
Principes tenebrarum, ac dæmonum legiones ad
pugnam prouocabat, & ad eos acrius irritandos,
muscas vocitabat: si *Lutherus*, aduersus Eucha-
ristiã vsum temere blasphematur, THERESIA per vi-
ginti annos singulis diebus Corporis Christi pasto-
reficiebatur, & (vt id obiter dicam) quia quidam
huius sacræ Virginis confessores, iudicauerunt ni-
miam videri hanc frequentiam, ac propterea me-
rito

rito temperandam, DEVS Optimus Maximus testimonijs duobus omni exceptione maioribus, frequentiam illam approbavit; nam quoties deinde Christi corpus sumebat, eius facies miris fulgoribus in conspectu omnium coruscabat, & cum quadam die sumptioni Eucharistiae iam proxima, ad locum communionis accessisset, diuino quodam extasi rapta, ita in sublime Spiritus sanctus non solum mentem, sed & corpus sustulit, vt cum sacerdos non potuisset ori eius Eucharistiam immittere, sacra illa hostia vitro ad os eius euolarit. Tandem si Lutherus aduersus cantantium choros obmurmurabat, THERESIA fratribus & monialibus suis psalmodiae in choro septies, iuxta septem horas Canonicas, & iuxta illud Dauid: *Septies in die laudem dixi tibi*, quotidie vacare iubet, quibus diuinis laudibus velut bellicis tormentis, aduersarios suos male torquent. Ad quod significandum, vbi Vulgata nostra legit Cantic. 7. *Quid videbis in Sunamite*, nisi choros castrorum? Alij legunt: *Quid videbis in Sunamite, nisi multitudinem praeliantium?* Vnde ingeniose Rupertus in comment. illius loci ait: *Laudando chori praeliantur, & praeliando castra laudant.* Verum & Dauid haec duo mihi copulasse videtur, cum dixit Psal. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum; ecce canentium laudes: & gladij ancipites in manibus eorum?* ecce arma tenentes, vt contra hostes acerrime dimicent.

X. NEMINEM igitur iam tam mentis inopem fore opinor, qui clare non videat illustrem esse victoriam, quam B. THERESIA de impio haeresiarcha Luthero reportauit; vt merito fortissimae Iudith Iudith 9. verba sibi vsurpare possit: *erit enim hoc memoriale nominis tui Domine, cum manus foeminae deiecerit eum.* Iudith 9. Hanc autem victoriam reportasse, tanto gloriosius iudico, quanto ipsi Luthero ignominiosius fuisse arbitror, quod a tenera foemina fuerit oppressus, ac superatus. Sane cum Abime-

Judic. 9.

lech, vir alioquin fortis, & bellicosus, grauiter percussus fuisset à fœmina, id adeo sibi turpe, ac ignominiosum iudicauit, vt proximus morti ab armigero suo enixe postularit, vt interficeret se, ne diceretur mulier ipsum interemisse: *Ecce una mulier, ait sacer Textus, fragmen mola desuper iaciens, illisit caput Abimelech, & confregit cerebrum eius: qui vocauit cito armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur, quod à fœmina interfectus sim.* Non euasit hoc ignominia genus impius Lutherus, cum à fœmina THERESIA turpiter fuerit prostratus, ac deuictus. Hanc victoriam per mulierem factam attente mihi perpendenti, verba illa occurrerunt propter *Deboraham* dicta: *Noua bella elegit Dominus*: etenim si præterita tempora inspiciamus, reperiemus duces viro- rum, viros fuisse; mulierem vero, viro- rum ducem, neminem nisi B. THERESIAM: quare non aptè minus dicemus hac tempestate, quam in sæculo illo *Deborahæ: Noua bella elegit Dominus.*

Judic. 4.

XI. CVM olim Rex *Iabin* Cananaeus per viginti annos vehementer oppresserat filios Israel, vt *libr. Iudicum cap. 4.* legimus, decreuerunt illi bellum ei indicere, & illum expugnare: quamuis autem inter eos esset *Barach*, rerum bellicarum peritissimus, *Deboraham* tamen elegerunt in generalem exercitus ducem, continuoq; illa, militaris regiminis munere fungens, vocauit *Barach* & dixit: *Vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesq; tecum decem millia pugnatorum, ego autem adducam ad te Sissaram principem exercitus Iabin, & currus eius, & tradam eos in manu tua: ipsa etiam cum exercitu comitata est illum: Ascendit cum decem milibus pugnatorum, habens Deboraham in comitatu suo: dixit enim ei Barach: Si veneris mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam: postea vero ipsa Deborah instar prudentis, ac expertissimi ducis, monuit eum die, quo hostem aggredi debebat, & in illum*

Ibid.

in illum irruere: *Hæc est, ait, dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: subiunxit tamen deinde: In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara: Non dissimiliter huius Carmelitici exercitus Discalceatorum ducem, creauit Deus alteram Debboram, Beatam scilicet THERESIAM; nam licet verum sit, virum illum sanctitate insignem Patrem Ioannem à Cruce Carmelitanum, certamen hoc incepisse, ac de dæmonis faucibus multos eduxisse, qui nouæ huic militiæ nomen dederunt, sapienter tamen, cum id præstare cœpit, B. THERESIÆ, eius duci, & magistræ dixit: *Si venis mecum, vadam, si nolueris venire, non pergam: THERESIA quidem instar Debbora gubernabat, & dirigebat, IOANNES velut Barack executioni mandabat; illa ad eum dixit: Vade, & duc exercitum in Thaborem montis Carmeli, vbi transfiguraberis, & in virum alterum mutaberis, reliquaque eum docuit, quæ ad victoriam de hoste reportandam, idonea esse iudicauit. Vnde non IOANNI, sed THERESIÆ hæc victoria ascribi debet, In hac die victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara: in manu THERESIÆ tradetur Lutherus, qui tunc in animis Lutheranorum viuebat; sicut autem tunc parta victoria Barack dixit: Surge, surge Debbora, & loquere canticum; (vel, vt alij legunt) loquere inspectionem, loquere ornatum, loquere principatum, loquere ordinem. His enim omnibus significationibus grauida esse perhibetur vox Hebræa, quam vulgatus interpres vocat Canticum: Sic sane nobis, B. THERESIÆ dicere nunc licet post gloriosam hanc partam victoriam: Surge, surge, loquere Canticum, canticum scilicet illud nouum, quod Ioannes dixit, cantare non posse, nisi virgines; loquere inspectionem, pande nobis reuelationum, & cœlestium visionum arcana; loquere ornatum, narra nobis diuina charismata, quibus sponsus te mirifice exornauit; loquere prin-**

cipatum, manifesta nobis specialem illum fauorem, cum Rex Regum, dum mortalem vitam ageres, te velut Reginam pretiosissimo diademate manu sua coronauit; *loquere ordinem*, aperi nobis excellentiam huius tui Ordinis, in quo te ordinatrice, ita omnia bene ordinata sunt, vt nihil in ea absque ordine inspicere liceat: quod non obscure indicat, Deum principalem eius fuisse institutorem, quia, vt ait D. Paulus: *Qua à Deo sunt, ordinata sunt.*

Ad Rō. 13

Virgil.

D. Aug.

Ambr.

D. Basil.

XII. PORRO, vt clare videamus, quam ad amulsum *Deborah* B. THERESIAM obumbravit, in memoriam quæso reuocemus vocem Hebræam, *Deborah*, idem significare, quod Latine *Apis*. Constat autem, apem simul virginem, & matrem esse, vt cecinit Virgilius *lib. 4. Georg.* & admittit D. Augustinus de bono coniugali *cap. 2.* dum ait: *Deus apibus prolem sine concubitu dare potuit: ergo carnem Christi in utero virgineo recte formare potuit.* Et D. Ambrosius 4. *Exameron*, commendans apes ab integritate virginali, fatetur pariter fecundissimas esse: *Geminos, inquit, creant fœtus, & duplici cæteris auibus fecunditate præponderant.* Deinde quia apes symbolum sunt cuiusdam religiosæ communitatis, cum & clausuram seruent, & vni tanquam reliquarum magistro, & superiori subijciantur: vt enim dixit D. Basilius *hom. 8* sui *Exameri*: *Apibus communis est habitatio, communis volatus, communis vnag, omnium actio, & quod maxime esse constat sub præside, duceq, omnes sua officia attingunt, & aggrediuntur: cæteras omnes certare, & muniri, alias inuigilare, quærendo victualia, alias sollicitam castrum adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres, & speculari cursus nubium, alias de floribus ferta fringere, alias rorem infusum floribus ore colligere; nullam tamen alienis insidiari laboribus.* Cum igitur Beata THERESIA virgo sit pariter & mater, copiosum spiritualium filiorum examen procreans, & cum dupli-

duplicem instituerit communitatem Monachorum, & Monialium, quæ tanquam apes argumentosa singulæ, suis muneribus attendentes, Evangelicæ perfectionis fauum incessanter elaborant, congrue satis B. THERESIAM adumbrari constat per Debboram, apem significantem. Sed & illud, quod fertur de Alexandro, non alienum puto ab hoc argumento: desideravit ille vehementer oculis suis inspicere, qua ratione apes ex materia illa, quam ex varijs floribus decerpebant, fauos mellis elaborarent: quod ut obtineret, hac industria vsus est, vitreum apiarium confici præcepit, & in eo copiosum apum examen introduci, putans hac ratione prospecturum, apes mellificare: sed falsa eum fefellit opinio; nam antequam illæ opus suum inchoarent, primum omnium luto intrinsecus vitrum delinierunt, ut sic nulla ratione faui constructio extrinsecus videri posset. Sanè licet iam fere omnes moniales ex salubri Concilij Tridentini decreto clausuram seruare constringantur, Beata tamen THERESIA strictissimam omnium clausuram instituit, ita ut extrinsecus spirituales eius apes nulla ratione prospici possint; & si quando, quod rarissime accidit, cum externis sermonem inire necesse sit, id non aliter fit: quàm breuissime, & velo vultum operiente, ut nec videre, nec videri liceat: vnde etiam & Alexandri (nobiles inquam, & principes) impediuntur, ne sacras apes intra monasteriorum apiaria elaborantes, prospicere queant.

XIII. AD HÆC de Debbora ait sacer Textus 4. Iudicum: *Erat autem Debbora prophetissa vxor Iudic. 4. Lapidoth,* quæ duo mirifice præfigurant, & quasi oculos nobis ponunt præclara duo cœlestia dona, quibus B. THERESIA mirum in modum præfulsit. Pollicitus fuerat Deus olim, copiose effusurum spiritum propheticum super Ecclesiam suam: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filia vestra.* Inter has filias, princeps

ceps Prophetissarum fuit DEIPARA Virgo, deinde
Elisabeth mater Ioannis Baptistæ. *Anna* vidua, filia
Phanuel, filia quatuor Philippi Diaconi; postmo-
 dum vero, vt obseruat D. Thomas 2.2. *quæst.* 174.
 non defecit spiritus hic propheticus in ecclesia
 Christi, etiam in fœminis: etenim dono prophetiæ
 floruerunt B. *Angela* monialis Carmelitana, filia
 Regis Bohemiæ, S. *Brigitta* cuius mirabiles pro-
 phetiæ Apostolico calculo sunt probatæ, S. *Ger-
 trudis*, S. *Hildegardis* anno 1130. cuius reuelationes
 confirmatæ fuerunt ab *Eugenio III.* S. *Catharina*
 Senensis, ac tandem hac nostra tempestate, ne spi-
 ritus antiquorum vatum in Ecclesia Catholica de-
 fecisse videretur, ita copiose Deus prophetiæ spiri-
 tum, ac diuinarum reuelationum lumen, in Bea-
 tam virginem, & matrem THERESIAM effudit, vt
 inter illustriores Ecclesiæ Dei vates, ac celebriores
 Prophetissas merito connumerari debeat: cuius
 locupletissimi testes sunt eius scripta, quibus pœnè
 infinitas prophetias, & reuelationes, ex obedientia
 suorum confessoriorum, testimonio proprio omni
 exceptione maiori consignauit. Vocat deinde *Deb-
 boram* sacer Textus uxorem *Lapidoth*: vox hæc
 Hebræa est, quæ interpretatur fœmina fulgurum,
 vel *lampadum*, quod præclare in B. THERESIAM, &
 absque vilo dubio conuenit.

Judic. 4.

XIV. ANTIQVI Rabbini super 4. cap. *Judic.* af-
 firmant, *Debboram* præ eximia sua pietate erga di-
 uinum cultum curam habuisse nutriendi oleo ar-
 dentes lampades, quæ erant in templo: *Arte* (in-
 quiunt) *lychnopaa ad sacrum lucernarum usum*
lychnos conficiebat. B. THERESIAM nemo ignorat
 ob excellentem virtutem religionis, quæ in illa sin-
 gulariter emicuit, diuini cultus sollicitam semper
 curam gessisse, & præcipuè illius, qui ad augustissi-
 mum Eucharistiæ sacramentum pertinebat: illa
 Ecclesiæ munditiam præcipiebat, altaria quoad
 poterat, ornabat, lampades perpetuo ardere vole-
 bat.

bat, non immemor illius: *Ignis in altari meo semper* *Leuit. 6.*
ardebit, oleo diligenter illas nutriebat, vt non abs-
 re, prudenter existimare liceat, in præmium illius
 sedulæ diligentia in nutriendis oleo lampadibus,
 ad Dei cultum destinatis, diuinum sponsum, non
 solum oleo lætitiæ animam præ multis alijs parti-
 cipibus vnxisse, sed & miraculoso oleo, ex corpore
 eius perpetuo emanante, illam illustrare voluisse:
 secura sane erit, non passuram à sponso repulsam,
 propterea quod veniente illo, deficiat oleum in vase
 suo: tanta enim olei copia delibuta est, vt non so-
 lum anima, sed & corpus in olei fontem eruperit,
 & perpetuo, ac incessanter erumpat.

XV. CÆTERVM cum à principio pollicitus fue-
 ro Mariana illa verba: *Beatam me dicent omnes ge-* *Luc. 1.*
nerationes, quia fecit mihi magna qui potens est, &
sanctum nomen eius, sacrae virginis THERESIÆ adap-
 tate: restat explicare, quomodo sanctum nomen
 eius magnificet eam: sane id, quod de emanatione
 olei nuper dicebam, non obscure id indicat; nam si
 Sponsa dixit: *Oleum effusum nomen tuum;* non vi- *Cant. 1.*
 deo vbi copiosius hoc nostro sæculo illud effuderit,
 quam in B. THERESIAM, cum abundantia spi- *Miracu-*
 ritualis olei, quo Spiritus sanctus illam inunxit, in *losum &*
 corpus eius miraculose redundarit. Referunt Hi- *saluberr-*
 storiographi, quod cum *Alexander Magnus* proxi- *imum oleū*
 mus esset ad bellum ineundum contra hostes, re- *stillat sa-*
 pente iuxta eius tentorium, fons olei ex terra foras *crū corpus*
 erupit; consultis autem auguribus, primus illorum, S. Theres-
 nomine *Aristander*, respondit: *Oleum laborem in-* *sia Virg.*
dicat, sed & victoriam repromittit: nam oleo athleta odoremq;
unguntur, & olea victores coronantur: certe peren- *spirat sua-*
nis fons olei ex sacrosancto virginis THERESIÆ *uissimum.*
 corpore erumpentis, vnum indicat, & aliud por-
 tendit, indicat ingentem laborem, quem luctan-
 do aduersus hostes pertulit: portendit vero lau-
 ream non solum præsentis Apost. Beatificationis,
 sed & cœlestis beatitudinis, qua in choro Virginum
 à spon-

à sponfo, nunc, & postea refurgens gloriose cõdõ-
nabitur.

Gen. 7.

In quibus
nomen
S. THE-
RESIÆ
cum no-
mine IESV
conue-
niat; &
quomodo
id illi da-
tum.

XVI. ADHÆC legimus olim Deum; tanquam
singularem fauorem ex celebri suo nomine *Terra-*
grammaton; seu *Iehouah*, Abrahæ vnâ literam,
Saræ alteram dono dedisse: ille enim cum antea
Abram, illa vero Sarâ nuncuparentur; postmodum
Abraham, & Sarai vocati sunt: at B. THERESIÆ
tanquam sponsæ suæ dilectissimæ, non vnâ, vel
alteram sui nominis literam; sed totum ac inte-
grum nomen suum IESVS ei donauit, vt iam non
THERESIA solum, sed THERESIA de IESV cogno-
minaretur, & esset; quod si nomen etiam ipsum
THERESIÆ speculemur, non pauca à nomine IESV
mutuasce reperiemus; nam si nomen IESV propter
prodigia, & miracula, quæ in nomine eius patran-
tur, à Dauide mirabile appellatur: *mirabile nomen*
eius: sane *Theresia* Græco idiomate idem est,
quod Latino *miraculosa*, seu *prodigiosa*, quod no-
men satis vtique conuenit ipsi rei: nam cuius mira-
bilis sanctitas, & immaculata vita; gratiæ miracu-
lum, ac prodigium fuisse toti Ecclesiæ constat, cer-
te THERESIÆ nomen, quod *miraculosa* interpre-
tatur, iure suo sibi vindicabat. Quid, quod & idem
nomen *Theresia*, vt multis placet, idem significat;
quod Latine *Ter ipsa*? vt sicut olim vetusta illa
ethnicorum sæcula suum Mercurium, vt excellen-
tiam magisterij eius commendarent; *Trismegi-*
stum illum vocitabant; ita & felicior nostra ætas
nacta sacram hanc virginem; quam propter in-
signem eius sapientiam; ac Apostolicum illius ma-
gisterium THERESIAM nominat, hoc est, *Ter ipsam*,
seu Ecclesiæ *Trismegistam*.

Isa. 51.

XVII. AD extremum; vt iam finem dicendi
faciam, ad vos omnes Carmeliticæ disciplinæ pro-
fessores orationem conuerto; cum Isaia proclā-
mans: *Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad*
tavernam laci, de qua præsisi estis: attendite ad
Abra-

Abraham patrem vestrum, & ad Saram, qua peperit vos. Attendite quæso ad ELIAM vestri Ordinis patrem, ac primum institutorem: attendite ad matrem vestram B. THERESIAM eiusdem Reformatricem: quod si vos deterret rigor, ac aspera viuendi ratio ELIÆ, inuitet vos, & alliciat viuum matris vestræ THERESIÆ exemplum, quæ alioquin tenerima virgo, ac varijs infirmitatibus vexata, non sibi indulgebat, sed Eliani rigoris æmulatrix vera, ad culmen perfectionis totis viribus anhelabat. Audite illam vobis dicentem illud Hierem. 2. Induxi vos in terram CARMELI, ut comederetis fructus eius. Sane fructus huius sacri Carmeli, virtutes sunt, dona Spiritus sancti, ac diuina charismata: ad hæc delibanda Carmelum ascendistis; quæ cum in Beata vestra matre THERESIA, tanquam in viuio exemplari, ac limpidissimo speculo, mirificè præfulgeant: nemini licebit excusationem illam præferre, quam D. Hieron. adducit epist. 20. ad Tharsiam; dum ait. Ex eo siquidem lex videtur obscura, quoniam raro, in quo conspiciatur existit. Sane B. THERESIA adeo perspicue religiosæ vitæ normam, ac animatum Apostolicæ perfectionis speculum se exhibuit, vt in illa virtutes omnes in heroico gradu clare conspiceret liceret: in eam ergo mentis lumina conuertite, vt eam imitemini, & vt ab ea discatis quid corrigere, quid effugere, quid prosequi, quid ad CHRISTO placendum tenere

debeat,
qui cum Patre & Spiritu sancto viuât,
& regnat in sæcula sæculorum.

AMEN.

APPROB.

Hierem. 2.

D. Hier.

 APPROBATIO.

Antiquitatem Religiosi Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo præsentis libello assertam, & non vno argumento firmatam vidi, præloq; committendam iudicavi. Quod ab hac, & Ordo præfatus commendationem, & Ecclesia Catholica, cuius non infima nota est Antiquitas, munimentum accipiat. Cum enim omnes illius hostes vsque ad hæc tempora, furoris sui arma conuertent in pia Monasticæ vitæ instituta, summam laudem merentur, qui eorundem Antiquitatem, exempla, & encomia scriptis suis adornant, & tenebrarum filijs hanc Religionis lucem, iam à tempore magni Elia exortam proponunt. Actum Antwerp. In seminario Episcopali, die xvi. Octob. M. DC. XIX.

Laurentius Beyerlinck Archipresbyter
 Antwerp. & Librorum Censor.



FVNICVLVS TRIPLEX

VIGINTI QVATVOR
Præcipuorum Beneficiorum Nodis,
DEIPARÆ Virgini CARMELITAS suos
obligans, ad festum Commemoratio-
nis solemnis 16. Iulij, vel Dominica sub-
sequente, gratitudinis ergo instituen-
dum & celebrandum.

A THEOLOGO CANDIDI ORDINIS
amante, è plurimis atque grauissi-
mis Authoribus, contextus,
eidemq; dicatus.

PROLOGVS.



*M*agnus Areopagita, Deum Opti-
mum Maximum ed dicit omnia
in se conuertere, quod omnium
causa sit, ac fontalis origo. Veris-
simè id quidem. Est enim omnè
effectui non modo natiua, verum

etiam naturalis isthæc suam in causam conuersio.
Porro manifestum est, inquit Doctor Angelicus,
quod benefactor in quantum huiusmodi

Aa

est

est causa beneficiati. Quid sequitur? id nempe, quod animantia etiam rationis expertia suo modo intelligunt, & sepius ad hominum confusionem ipso complent opere, oportere eum qui beneficium accepit, suum in benefactorem tota se deuotione conuertere, vel agendo gratias, vel habendo. Quocirca, ô dilecte virgini CARMELE, cum quae ab illa accepisti, ea tot sint, vt recenseri nequeant, tanta, vt pro merito pensari nequaquam possint, haud abs ratione, sed omni potius equitatis iure egisse te gratulor, quod generali Filiorum tuorum calculo, omnium eiusmodi beneficiorum Solemni Commemorationi diem specialem dixeris. Quamquam enim Matris tam beneuolae deuotionem nunquam remitti deceret, id tamen optari facilius, quam ab hominibus, inter huius vite discrimina distentis reapse impleri posse videtur. Atque adeo magna prudentia laude prouisum est, vt quod forte anni circuitus solita de pietate detriuisset, id in solidum recurrens Festum repararet. Neque vos in tam laudabili statuto, exemplis quae sequeremini caruistis, passim & omnibus obuiant, quae propter speciales gratias, apparitiones & alia istius generis caelitus accepta, Festa constituta sunt. Maeste pietate Sacra Religio, quod coepisti perfice, & specialibus magnae Parentis fauoribus, velit, nolit mundus perfruere, quorum ego praecipuos hic collegi, quo qui eos ignorabant, iam tandem ediscant, edocti autem vobis vna mecum gratulentur, & Dei Matrisque in Fratribus benedicant.

NODVS PRIMVS.

Eò in primis sacra *Carmeli* Religio, id Festum instituit ac celebrat. quod antiquissimus & propheticus hic Ordo in Deiparæ virginis *MARIÆ* adhuc nascituræ honorem & obsequium à Sanctiss. Patre *ELIA*, Prophetarum excellentissimo, ipsiq; Virgini Matri in duodecim priuilegialibus donis simillimo, omnium primo in veteri lege, iussu diuino, sub tribus votis *Obedientia*, *Castitate*, & *Paupertate* fundatus sit, anno, ante Christi natiuitatem, circiter nongentesimo tricesimo; post visam nimirum ab eo, in monte *Carmelo*, nubeculam, quasi vestigium hominis de mari ascendentem, hancq; Virginem, futuram Dei matrem, præfigurantem.

Ioan. Patriar. Ierosol. lib. de instit. primorum Monachorum.
Ioã. XXII Sixtus IV. Pius V. Greg. XIII Sixtus V. Clemens VIII. & Paul. V. Sum. Pör. in Bullis cōcess. Ordin. Carm.
Thom. Waldens. Tom. 1. doct. fidei & Tom. 3. de Sacram. Trithem. lib. 1. de Ortu & progress. Ord. Carm. Iod. Clicht. 3. part. suor. serm. Arnoldus Bostius in patron. Mariano. Francisc. Suarez Tom. 4. de Relig. Sanchez in Comment. lib. 3 Reg. cap. 17. Iac. Salianus, in Annal. Eccles. vet. Test. Tom. 4. Ægid. Camartus in Elia Thebete. Ioan. Paleonyd. lib. 1. de Orig. & progress. Ord. Carm. Thomas à Iesu, Franciscus à S. Maria, & alij penè innumeri.

NODVS II.

Quod non longè ante huius Deiparæ Virginis ortum, annis scilicet septuaginta septem ante Christi natiuitatem, eiusdem Virginis *MARIÆ* non solum natiuitas, sed

S. Cyrill. Alexand. lib. de ortu B. Mariæ Virg.

Aa 2 & pro-

Petr. Dor- & progenitores, sine tota parentela, diuina
landus reuelatione sanctis aliquot Carmeli Patribus
in vit. prænnuntiata sit.
S. Anna.

Ioan. Paleonyd. lib. 1. de Orig. Carm. cap. 5. Petr. Lucius in Com-
pend. Hist. Carm. c. 5. Iod. Badius Ascensius. Ioan. Pintus Tom. 1.
Hierarch. Carm. Ioan. Carthag. Tom. 4. Guil. Pepinus &
Laurent. Cuparus.

NODVS III.

Rich. Ar- Quod ipsa Deipara in viuis agens, Pro-
machan. fessores huius Religionis multoties in mon-
Thomas te Carmelo, cum adhuc paruula comitibus
Waldens. parentibus, tum iam adulta cum Filio suo,
de Sacra. & post eius in Cælos ascensionem cum So-
tit. 9. dabus suis visitauerit, Fratres suos appella-
Mart. Ita. lus in suis uerit, in fide Catholica erudierit, suis facul-
Chronic. tatibus adiuuerit, morienti sibi adesse vo-
Mantuã. luerit, hæredesque paternorum bonorum,
in Apolog. præsertim Nazarethanz, id est, Laureanz
pro Carm. & in vita domus constituerit, &c.

S. Dionys. Areopag. libr. 1. Petr. Lucius in compend. Hist. cap. 9.
Did. Coria in suo Dilucidario lib. 1. c. 26. Ioan. Carthag. Tom. 4.
lib. 17. Ioan. Pintus Tom. 1. Hierar. Carm. Thom. à Jesu, & alijs
complures.

NODVS IV.

Sixt. IV. Quod eadem Deipara Virgo familiarita-
Gregor. te prædicta Patrum huius Ordinis non con-
XIII. tenta, ipsum quoque Propheticum Carme-
Dionys. litarum Ordinem profiteri, ac eius sub noua
Carthus. lege prima inter scæminas (sicut ELIAS pri-
Iac. Ber- mus
gomens.

mus veteris legis inter viros) *Fundatrix esse* *Guiliel.*
 voluerit ; vt ex *Diplomatibus Summorum* *Eisengr.*
 Pontificum , & *Doctorum virorum autho-* *Arnold.*
 ritatibus probari potest. *Bostius.*
Ioan. Car-
shagen. Laurent. Beyerlinck in Theat. vit. hum. lib. 16. & alij.

NODVS V.

Quod vicissim huius Religionis Patres *B. Ioan.*
 ipsam *Beatiss. Virginem MARIAM*, adhuc *Pat. Iero-*
 viuentem, multoties reuiderint, familiarita- *solymit.*
 te eius feliciter perfructi fuerint , *Sororem* *lib. de inst.*
 suam nuncupauerint , in *Patronam* *prim. Mo-*
 nasterij *specia-* *nach.*
 lissimam *Ordinis sui* . olim designatam, ac- *Ioseph.*
 ceptauerint , *primi omnium in Orbe ter-* *Antioch.*
 rarum *Sacellum* , seu *Ecclesiam* in eius ho- *lib. de*
 norem erexerint ; ac denique peculiarissime *perfecta*
 ipsam *præ alijs Christi fidelibus venerari* *milit. præ-*
 primum cœperint. *mitiua*
Eccles.

Richard. Armach. in serm. de Concept. B. M. V. Waldens. de Sa-
cram. tit. 9. Philippus Ribotti in speculo Hist. Tritheim. lib. 1. de
laud. Carm. Ioan. Paleonyd. Arnold. Bostius, Iodoc. Badius, Paul.
Morigia, Thomas à Iesu & alij.

NODVS VI.

Quod eiusdem Religionis Professores, *Innoc. IV.*
 inter omnes *Ecclesiæ Ordines* , nobilissi- *Vrbã. VI.*
 mum titulum , scilicet *Fratrum Gloriosissima* *Nicol. V.*
Dei Genitricis semper Virginis MARIÆ de mon- *Rõ. Pont.*
te Carmelo , obtinuerint : quodque *Romani* *Ioannes*
Pontifices contra eiusdem tituli oppugna- *Tritheim.*
 tores , *largas postmodum Indulgentias* , ijs *Ioan. Pa-*
 Christi fidelibus dederint, qui eodem titulo *leonyd.*
Arnold.
Bostius,

Et alij
permulti.

vel Ordinem ipsum, vel eius Professores ap-
pellarent.

NODVS VII.

Ioã. Parr.
Ierosol. lib.
de instit.
prim. Mo-
nach.
Ioseph.
Antioch.
ubi supra.
Ioan. Pa-
leonyd.
Sigebert.
Gemblac.
in Chron.
Iodo. Bad.
Ascens. in
com. Mät.
Didac.
Coria. in
Diluci-
dar. Hist.
Ioan. à

Quod Apostolorum temporibus Patres hu-
ius Religionis, adhortante illos ad hoc
Beatiss. MARIA Virgine, ipsis Apostolis, (quo-
rum nonnulli ex illorum numero, ante A-
postolatam, fuerant) in disseminando
Christi Euangelio strenuissimè collaboran-
tes, & vna cum illis in Orbem terrarum di-
uisi, totam nascentis Ecclesiæ structuram
erexerint. Quo etiam tempore, tam per
ipsos Apostolos & Christi discipulos, quam per
huius Religionis ceteros Professores, idem
Propheticus Carmeli Ordo, sub diuersis li-
cet appellationibus, per Orientem & Occiden-
tem, longe lateq; propagatus fuit, nempe per
Palæstinam, Syriam, Ægyptum, Æthiopiam,
Indiam &c. per Asia & Africa, perque Europæ
varias Regiones.

Iesu Maria in vit. S. Teref. Thom. à Iesu, Ioan. Pintus in Hierar.
Carmelit. Tom. 1. Laur. Beyerl. in Theat. vit. hum. lib. 16. Bapl.
Mantuan. in Parthen. Mar. Ioan. Grossi in Viridario. Luitprand.
Episcop. Cremonens. Thomas Tamaius. Alijque complures.

NODVS VIII.

Petrus
Thom. in
Menolog.
Carmel.

Quod anno Christi circiter centesimo
tricesimo tertio, Ordo Carmeliticus in Sy-
ria & Palæstina vix non funditus ab
Ethnici

Ethnici Imperatoris, & *Barchocheba* Iudaorum Ducis tyrannide euersus, *Deipara* Virgine clementer protegente, in *Carmelo*, originali inquam loco, seruatus, ac postmodum per sanctos *Antonium* & *Hilarionem* (eiusdem instituti Professores) toto Oriente latissimè propagatus, innumerisq; cum *Monasterijs*, tum personis auctus sit.

Didac.
Coria in suo Dilucid. lib. 8.
Thom. à Iesu lib. 1. de Antiq. Ordin. Carmel. & alij non pauci.

NODVS IX.

Quod frequenter ad propagandam gloriam suam *Beatiss. Virgo*, *Carmelitarum* opera & industria vti dignata sit. Vti patuit in occasionibus non paucis, maximè vero in sacro & magno generali Concilio *Ephesi*, anno salutis quadringentesimo tricesimo primo, celebrato; cui nempe pro Romano Pontifice præsedit *S. Cyrillus* Patriarcha *Alexandrinus*, dictique instituti quondam in *Carmelo* Professor, quo potissimum agente *Nestorius* Hæresiarcha pessimus & *Deiparæ* Virginis hostis acerrimus damnatus est: ipsa vero *Dei mater* declarata, & celeberrima illa clausula *Salutationis Angelicæ*: *Sancta MARIA mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis nostræ*: in *Ecclesiam Catholicam* introducta est; sed & titulus *Marianus* huius Religionis, *Fratrum*, scilicet, *Gloriosissimæ Dei Genitricis semper Virginis MARIE de monte Carmelo*, cum *Ordine ipso*, per

Ioan. de Vineta in Chron. Bern. Olevius. Thomas Scropus Episcop. Dromor. Ioan. de Hisduno. Ioan. Pa-leonyd. lib. 2. de orig. Ord. Carmelit. Pet. Thõ. in Menolog. Carm. Ioannes Carh. Tõ. 4. libr. 17. Didac. Coria, in

Dilucid. eiusdem Concilij Patres, approbatus & con-
libr. 9. firmatus fuit.

Thō. à Ie-
su, Bapt. Mant. Ioan. Pintus, & alij complures.

NODVS X.

S. Cyrill. Quod hic idem *Carmeli* Ordo, quem *Hu-*
Constāti- *mar* Arabiæ Rex, Mahometis discipulus, Sa-
nop. apud racenorum Princeps, anno Christi 636 præ-
Philippū clara veste Mariana, albo nimirum pallio
Riborri. (quod in signum puritatis primiceriorum
Ioan. Pa- virginum *ELIÆ & MARIÆ*, Carmelita
leonyd. haftenus detulerant) priuauerat, ac pe-
lib. 2. de o- nitus delere, nisi illud deponerent, de-
rig. Carm. creuerat, non solum extinctus non fue-
Thom. à rit; sed & duplici emolumento maxi-
Iesu lib. 1. mo (patrocinate ipsa sanctissima Virgi-
de Antiq. ne) præclarissime nobilitatus sit. Nam in-
Ord. Car. primis ab eo anno 636. vsq; ad annum 1291.
Didacus centum quadraginta millia Martyrum v-
Coria in triusque sexus, hic Carmeliticus Ordo in
Dilucida- cœlum laureatos transmisit; præter eos,
rio lib. 3. quos præcedentia, quosque subsequētia
Pet. Thō. suppeditarunt sæcula. Deinde à tempore
in Meno- potissimum harum persecutionum, maxi-
log. Carm. ma professorum huius Religionis multitu-
Ioannes do, qui gladium persecutorum euaserant,
Carthag. in varia toties *Asia & Africa* regna, & non
Tō. 4 l. 17 nullas ipsius *Europa* prouincias dispersa, co-
Chronic. piosissimè profecit, vt mirum cuique videri
Tholosan. non debeat, tot millibus Martyrum *Carmeli*
Ioannes Ordinem interea claruisse; quando viri
Pintus.
in Hierar.
Carmelit.
Philocalus
Caputus

maxi-

maximi nominis monasteria, quæ sub ea *in mont.*
 tempora Carmelitæ incolebant, recensent *Carmel.*
 tes, septem millia & quingenta numerent, *Sabellie.*
 eaque adeo monachis conferta, ut centum *Ænead. 9.*
 octoginta millia Sacerdotum, præter reliquos *libr. 5.*
 sine numero Religiosos, in illis degerent. *Cōtinuat.*
Hist. belli

Pet. Maturus in addit. ad illum locum. Ioan. Azorius, lib. 12. c. 21.
Leander Granat. & alij permulti.
Sac. l. 5. c. 3

NODVS XI.

Quod sæpe memoratus *Carmeli Ordo,* *Sixt. IV.*
 qui hæctenus varias in Syria & Palæstina, à *& Gregor.*
 tempore præsertim Saracenorum, atque de *XIII. in*
 inceptis ab hæreticis Iconoclastis, ab anno *suis Bullis.*
 726. vsque ad an. 842. ob cultum sacrarum *Paleonyd.*
 imaginum Constantinopoli & alibi in Græ- *lib. 2. de*
 cia & Asia perpeffus fuerat persecutiones, *orig. Ord.*
 Monasteriorum & Ecclesiarum destructio *Carmel.*
 nes, tandem à temporibus *S. Leonis Papæ IV.* *Didacus*
 qui sedit anno Domini 847. & suorum Suc- *Coria in*
 cessorum, sub Apostolicæ Sedis protectio- *Dilucid.*
 ne, intuitu & amore Gloriosiss. ac Deiparæ *libr. 9.*
 Virginis, Carmelitarum Patronæ, benignè *Petrus*
 receptus sit, variasque Indulgentias & pec- *Thom. in*
 catorum remissiones, iisdem Pontifices om- *Menolog.*
 nibus Christi fidelibus, qui easdem huius *Ioan. à*
 Religionis Ecclesias (ipsi Sacratissimæ Vir- *Iesu Ma-*
 gini ordinariè semper dicatas) in certis anni *ria in vit.*
 Festiuitatibus visitarent, & eleemosynas pro *S. Theres.*
 earum reparatione & reædificatione, Fra- *Catalog.*
 trumque *sanctorum*
Orienta-
liū & alij
quamplu-
rimum.

trumque sustentatione largirentur, liberaliter concesserint; sicuti & illis, qui eiusdem Virginis & Ordinis sacram Confraternitatem assumerent. Vnde & ipsius Confraternitatis, seu Confratiæ, vt vocant, (quæ nunc sacri Scapularis nuncupatur) antiquitas & Apostolica confirmatio eruitur, à tempore scilicet *Adriani* Papæ II. anno Christi 868. cuius Archiconfraternitatis primam originem, progressum atque statum, speciali tractatu prosequemur.

NODVS XII.

*S. Cyrill.
Constantinopolit.
Onuph.
Panuin.
Ioan. à Iesu Maria.
Thom. à Iesu.
Didacus Coria.
Ioan. Paleonyd.
Thom. de Saracenis.
Ioannes Carth.
Aubert.
Miraus,
& alij.*

Quod idem Carmeliticus Ordo, cuius Professores in diuersis mundi partibus, vel persecutionibus varijs oppressi, vel temporis diuturnitate à pristino feruore recesserant, tandem, patrocinate *Carmeli* Domina Clementissima, ab *Aymerico* Patriarcha Antiocheno, in originalem locum, (vbi prisca adhuc vigeat deuotio) recollectus, ad morem Ecclesiæ Latinæ restaurari & reformari cœperit. Hic enim *Aymericus* anno 1121. Apostolica quaungebatur *Legati* à Latere in Oriente Authoritate, Ordinem hunc è Græco more ad mores Latinos traduxit, & ex Monachali Mendicantem effecit; constituendo, omnium consensu, primum Priorem Generalem *S. Bertholdam* de Malofaida, natione Gallum: superiori quippe tempore Prælati

Prælati huius Ordinis, more Græcorum & Monachalium, Abbates, Archimandritæ, alijsque nominibus appellabantur. Propter hanc huius Religionis instaurationem siue Reformationem, olim speciale festum à Carmelitis celebratum fuisse fertur.

NODVS XIII.

Quod B. Albertus Ierosolymorum Patriarcha, huius Ordinis sui Reformationem, ab Aymerico, vt supra, inchoatam (commo-
diori ac compendiosiori eius alumnis præ-
scripta Regula) anno Christi 1171. fœliciter tandem consummauerit; inspirante id præ-
gloriosissima eiusdem Ordinis Matre Deipara Virg. (quam idem Albertus speciali deuotione venerabatur) & adhortante eum B. Brocardo secundo generali Priore: qui uiuens ac moriens nihil suis Fratribus æquè commendatum voluit, ac vitam & mores Virginis Matris, Protoparentisq; sui Elia. Qua etiam de causa factum, vt dictus Patriarcha Albertus, Regulam suam, quam fieri potuit accuratissimè ad vitam & mores eiusdem Deiparæ Virg. per singula quasi puncta aptauerit, nobilissimum hunc ei titulum suffigens: *Regula Fratrum B. Mariæ Virginis de monte Carmelo*, qui non multo post per Alexandrum III. Innocentium III. Honorium III. aliosq; non paucos eorum Successores Romanos Pontifices, vna cum ipsa Regula approbatus fuit.

Ioan. Pa-
leonyd.

lib. 3. de
orig. Ord.
Carmel.

Ioannes
Bachon.

Thom. à
Iesu in

com. Reg.
Carm.

Ioã. à Iesu
Maria.

Didacus
Coria, in

Diluci-
dar. li. 10.

Aubert.
Miraus.

Thomas
Saracen.

Theatr.
vit. hum.

& alij pe-
ne innu-
mers.

No-

NODVS XIV.

Guiliel. Quod ipsissima Virgo MARIA S. Cyrillo,
Samucus Tertio huius Ordinis, post *Aymerici* Refor-
in Chroni. mationem, Priori Generali apparens prae-
Arnoldus nuntiauerit, Ordinem Carmeliticum pau-
Bostius. latim è Terra sancta, ob Christianorum sce-
Ioan. Pa- lera, eradicandum quidem fore, sed per Eu-
leonyd. ropam vniuersam numerosius & copiosius
Did. Co- quam olim, sub noua nimirum S. *Alberti* Re-
ria lib. 10. gula transplantandum. Quodque eandem
Pet. Lu- iterans reuelationem Clementissima Virgo
cius in de grege suo sollicita, apparendo B. *Bertholdo*
Compend. Lombardo, quarto Generali Priori, man-
Hist. c. 12. dauerit ipsi, cum nonnullis ex suis, de tran-
Thom. à situ in Europam dubitanti, his alijsque ver-
Iesu, lib. 1. sitis in Europam dubitanti, his alijsque ver-
de antiq. sitis in Europam dubitanti, his alijsque ver-
Ord. Car- sitis in Europam dubitanti, his alijsque ver-
mel. cap. 8. bis: sitis in Europam dubitanti, his alijsque ver-
Ferdinād. Non Syria, aut Solyma est tantū Carmelicus Ordo,
à S. Ma- Splendor, sed lumen totius Orbis erit. &c.
ria in pra- ut Fratribus generalem daret licentiam, in
fat. Apo- Occidentem eandem Religionem transfe-
stolicorum rendi. Licet enim haectenus, post *Aymerici*
priuileg. scilicet reformationem & B. *Alberti* Regu-
Thom. Sa- lam, subinde, sed rariùs, id quibusdam in-
racen. in dultum fuerit, nunquam tamen ordinaria
Menolog. seu generalis ante hoc tempus licentia eis
à Anna- data fuerat, Terram sanctam deserendi, &
libus hu- alio transmigrandi: excipe tamen tempora
ius Ord. antiqua *Aymerici* reformationem antece-
à alijs. dentia, vt ex supradictis satis patet.

NODVS X V.

Quod tandem anno Christi millesimo ducentesimo decimo sexto, vel ut alij volunt vigesimo sexto, die tricesima Ianuarij, praestantissima & benignissima caeli Regina Ordinem hunc suum valide propugnans duos è primarijs inimicorum eius (qui apud Honorium III. pro illius extinctione instabant) nocte vna, mortis eiusque subitæ pœna mulctauerit. Ipsum porro Papam Honorium Ordinis & eius Regulæ approbandæ & defendendæ serio per visum monuerit inquiens: *Non est aduersandum in his dum iubeo, nec dissimulandum dum promoueo.* Quapropter idem Pontifex, sine mora dato diplomate, seu Breui Apostolico, humili Carmelitarum petitioni plane annuit. Insuper ob reuerentiam & honorem Gloriosissimæ Dei genitricis semper Virginis MARIÆ de monte Carmelo, concessit huic Ordini, eiusdem Virginis titulo specialiter insignito, illius quoque Ecclesijs ac domibus atque ab illis dependentibus locis, largas & diuersas indulgentias, & peccatorum remissiones, priuilegia, facultates, gratias, exemptiones, immunitates, libertates, &c. Et hæc celeberrima Ordinis protectio, atque Apostolicæ Sedis erga eundem munificentia proxima causa est institutionis huius Festi Commemorationis solemnis B.M.V.

Sixt. IV.
Gregorius
XIII. in
suis Bullis.
Thomas
Scropus
Episcop.
Dromor.
Paleonyd.
lib. 3. de
orig. Ord.
Carm. c. 5.
Petr. Thõ.
in vit.
S. Simonis
Stock.
Carthag.
Tom. 4.
lib. 17.
Roder.
Tom. 2.
quæst. Re-
gular. qu.
97. art. 7.
Bzouius
ad ann.
1217.
Ferdin. à
S. Maria,
in prefat.
citat. a-
lijq; per-
multi.

No-

NODVS XVI.

Thom. Quod pijsfima & liberaliffima *Carmeli* Do-
Bradleyus mina & Patrona ad promouendum & exal-
Epif. Nor- tandum Ordinem suum (postquam is Apo-
uvicenf. stolicæ Sedi & Christi fidelibus in Occiden-
Thom. te sub noua *B. Alberti* Regula, acceptus esse
Scropus. cœpit) singulariffimum illud & merito ad-
Ioã. Gross. mirandum sacri *Scapularis* Carmelitici pri-
in Virid. uilegium *S. Simoni Stock*, Anglo, huius Or-
Carmelit. dinis Priori Generali, suisque Fratribus &
Arnold. Confratribus, siue Confraternitati Carme-
Bostius in litanæ duntaxat, anno salutis 1246. die 16.
Patron. Iulij, contulerit, vna cum quodam cœlitus
Marian. allato, ei que in manus tradito Scapulari his
Paleonyd. verbis: *Dilectissime mi, recipe hoc Ordinis tui*
lib. cita. *Scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi &*
Pet. Lu- *cunctis Carmelitis priuilegium; in quo quis mo-*
cius, in *riens æternum non patietur incendium. Ecce si-*
compend. *gnum salutis, salus in periculis, fœdus pacis &*
Hist. c. 12. *facti sempiterni.*
Bened.
Gononus
in vit.
Patr. Oc-
cident.
Leo à S. Ioanne in Typo vestis Relig. Carthag. lib. citat. Beyer-
linck in Theatr. vit. hum. lib. 10. Didacus Maldonatus, Ioannes
à Victoria, Thom. à Iesu, Ioannes à Iesu Maria, & alij pene in-
numeri,

NODVS XVII.

Innoc. IV. Quod sæpe dicta huius Ordinis benignif-
Guiliel. sima Mater & Domina, cum contra non-
Samucus. nullos Prælatos & Ecclesiarum rectores
 Ord-

Ordinem molestantes à Fratribus suis in-
uocaretur, gemitus eorum benigne respi-
ciens anno Christi 1252. B. Simoni supradicto
apparuerit, eumq; ad Innocentium Papam IV.
hunc in finem direxerit, illum autem ita
permouerit, vt datis ad vniuersos Archie-
piscopos & Episcopos comminatorijs lit-
teris, suam Carmelitis quietem factam te-
ctam præstiterit.

*Paleonyd.
lib. citat.
Didac.
Coria, lib.
10. cap. 10.
Bzouius
an. 1245.
Pet. Thē.
in Meno-
log. &
alijs.*

NODVS XVIII.

Quod cum Candidati huius Ordinis Pa-
tres ab anno Domini 636. à Saracenis pri-
uati essent albis suis pallijs (quæ, vt diximus,
in memoriam primiceriorum virginum
ELIÆ & MARIÆ, annis, à primæua eorum
fundatione mille quingentis sexaginta duo-
bus gestauerant) assumptis virgulatis seu
intermixti coloris albi & nigri; tandem con-
cedente Honorio Papa IV. ad eiusdem Dei-
paræ Virginis honorem, ipsaq; auxiliante
eadem pallia alba anno 1287. reassumpserint
& contra Præmonstratensem Ordinem (qui
se huic negotio, tanquam sibi præiudicanti,
opposuerat) eiusdem reassumptionis Apo-
stolicam confirmationem Nicolai IV. & Bo-
nifacij VIII. obtinuerint. Impleta tunc est
Prophetia S. Hildegardis Virginis, qua ait:
Venient Equi varij coloris, quorum egressio ab O-
riente in Occidentem, mutato vellere paulatim
incedent, horum progressio ab Occidente in Orien-
tem: hi primi & nouissimi, &c.

*Thom.
Scropus
Epif. Dro-
morens.
Ioan. de
Malinis
in spec.
histor.
Paleonyd.
lib. 3. c. 9.
Pet. Lu-
cius in
compend.
hist. c. 12.
Ferd. à
S. Maria
in præfat.
citat.
Thom. à
Iesu.
Arnold.
Bostius.
Thom. de
Saracen.
alijs, non
pauci.*

No-

NODVS XIX.

Paleonyd. lib. 3. c. 10. Pet. Lucius in compend. cap. 12. Sibertus de Beka in suis addit. alijs à Paleony. relati. Quod anno salutis 1291. dum omnia totius Palæstinæ residua huius Ordinis cœnobicia, ipsumq; originale montis *Carmeli* monasterium, à Saracenis igne cremarentur, Fratribus vniversis, ob Christi fidem gladio trucidatis, nequaquam tamen Serenissima Virgo & eiusdem Ordinis pijsissima Mater permiserit, sibi in ipso *Carmeli* monte primigenium, ab exordio Ecclesiæ Catholicæ erectum Templum ab igne deuorari, sed insigni & patenti miraculo, (tanquam à *Carmelo* abesse nollet) illud à flammis integrum & intactum vsque modo præserauerit, &c.

NODVS XX.

Ioannes XXII. alijs Rom. Pont. in suis Bullis. Ioannes Carth. Tom. 4. libro 17. Thom. à Iesu, lib. 2. Didac. Coria, libr. 11. cap. 3. Quod eadem perpetua virgo *MARIA*, addens (vt *Paleonydorus* loquitur) adhuc glorificare *Ionatham*, id est, columbam, Ordinem scilicet, *Carmeli*, candore & prudenti simplicitate insignem, aliud quoddam à sacro Scapulari diuersum atque per maximum eisdem priuilegium, *Bulle Sabbathine* nuncupatum, eidem Ordini suo contulerit: dum apprensus *Ioanni* Papæ *XXII.* anno Domini 1322. die 3. Martij, Pontificatus eius anno sexto, mandat ei, vt pro Fratribus & Confratribus huius Ordinis, priuilegium, à Christo

Christo Domino in cœlis concessum (quo
 eorum animæ sequenti ab ipsorum obi-
 tu *salvato* è purgatorij pœnis eriperentur)
 auctoritate Apostolica roboraret & publi-
 caret in terris, quod & anno & die antedictis
 præstitit, per Bullam, cuius initium est, *sa-*
cratissimo vt in culmine Paradisi, &c. quam
 postmodum confirmarunt *Alexander V. Cle-*
mens VII. Gregorius XIII. & alij non pauci
 Romani Pontifices.

Ioan. à
Victoria.
Leo à
S. Ioanne.
Emman.
Rodrig.
Bart. de
Medina.
Pet. Lu-
cius,
alijs quam
plurimi.

NODVS XXI.

Quod dum iterato repullularent aduer-
 sus hunc Ordinem quorundam contradi-
 ctiones, qui ipsius antiquitatem, priuile-
 gia, &c. varijs modis oppugnabant, & quan-
 tum in ipsis erat, ex hominum memoria
 eum deleri percipiebant, ipsa Clementissi-
 ma cœli Regina, & Carmeli Tutelaris, velut
 tutissimum in necessitatibus perfugium, an-
 no salutis circiter millesimo trecentesimo
 quadragesimo octauo, exorata à deuotissi-
 mo famulo suo, *S. Petro Thoma* (postmodum
 Constantinopolitano Patriarcha, tunc tem-
 poris Auenioni in Gallijs sui Ordinis Pro-
 curatore generali, apud Sedem Apostoli-
 cam) ipsi apparuerit, & memorabili oraculo
 eum certiore reddiderit, de perpetua Or-
 dinis sui duratione, atque de Fundatore &
 antiquitate eiusdem. Quæ reuelatio in ossi-
 cijs multis.

Ioan. de
Hildeshei.
Paleonyd.
lib. citat.
cap. 12.
Thom. Sa-
racen. in
vit. S. Pe-
tri Thom.
Didac.
Coria, lib.
11. cap. 11.
Arnold.
Bostius, in
patron.
Mariano.
Thom. de
Iesu.
Ioã. Car-
thag. tom.
4. lib. 17.
alijs per-
cijis multis.

Bb

cijs proprijs Sanctorum huius Ordinis, anno 1628. Romæ à sacra Rituum Congregat. approbata fuit. Vnde & celebres illi D.V. versiculi:

*Dum fluet vnda maris, curretq; per aethera phœbus,
Viuet Carmeli, Candidus Ordo mihi.*

NODVS XXII.

Hæc omnia plurimos diuersosq; habet authores; de quibus plenius in Annalibus huius Ordinis pertractatur.

Quod eadem sacratissima Virgo MARIA, cum per seipsam, tum per diuersos Reges, Principes, Pontifices, aliosq; Prælatos tam Ecclesiasticos, quam sæculares, hunc Ordinem suum innumeris pene alijs vicibus, specialiter defenderit, promouerit, beneficijs ac fauoribus cumulauerit, Monasteria miraculose ipsi procurauerit, &c. Quodq; omnes fere huius Religionis celebriores Sæctos, diuinis apparitionibus & reuelationibus dignata sit: plurimosq; ab Ordine extraneos, intuitu patronatus Carmelitani, ad inuocationem duntaxat nominis sui: *Sanctæ Mariæ de monte Carmelo*: multis similiter beneficijs fauoribus ac gratijs, imo & miraculis ornauerit.

NODVS XXIII.

Joseph à Iesu Maria, in Annal. huius Ordinis. Ioan. à Iesu Ma-

Quod, cum prisca Carmeli disciplina, temporum & animorum iniuria, nonnihil laxata esset, Serenissima cœli Regina Seraphicam Virginem & Matrem *Theresiam*, anno salutis 1562. ad illam restituendam, primumque illius decorem ac rigorem instaurandum

randum excitauerit, eamque in excelsis hoc
 opere modis omnibus adiuuerit, gloriosissi-
 mumque; sponsum suum *S. Ioseph* restaurati
 Carmeli Tutelarem ac protectorem esse volue-
 rit; sub cuius patrocínio noua hæc Carmeli
 vinea adeo excreuit; vt extenderit palmites
 suos à mari vsque ad mare, & à flumine vsq;
 ad terminos Orbis terrarum, continuo pro-
 ducens delectabilia Deo & hominibus ger-
 mina & fructus, viros scilicet sanctitate &
 sapientia illustres, &c.

*ria. aliq;
 Scriptores
 vita S. M.
 Theresia.*

NODVS XXIV.

Quod tandem sæculo hoc nostro nouis-
 simo, ob innumera, & quotidiana in varijs
 mundi partibus, per sacrum Gloriosissimæ
 Virginis *MARIÆ* de monte Carmelo *Scapulari*
putare, non rarius ac olim patrata miracula
 & ob frequentissimum Christifidelium, ad
 eiusdem sacri Scapularis Confraternitatem,
 concursum, *Paulus* foelic. recordat. Papa V.
 anno Christi 1609. non modo plenarias &
 amplissimas Indulgentias personales huic
 Archiconfraternitati contulerit, verum
 etiam Indulgentias locales sane præstantis-
 simas, à suis Prædecessoribus, omnibus
 Christifidelibus, huius Ordinis Ecclesias
 ubique existentes, piè visitantibus, perpe-
 tuo concessas. denuò liberalissimè concessit
 & imprimi ac publicari permiserit.
 Quodque in diplomate dato Romæ an. 1613.

*Ex Bullis
 Pauli V.
 an. 1606.
 & 1609.
 editis, &
 ex sum-
 mario In-
 dulgentiar.
 localium
 anno se-
 quent. sub
 eodē euul-
 gato, atq;
 ex varijs
 libris de
 huius
 Ord. Con-
 fraterni-
 tate hoc
 sæculo im-
 pressis.*

die II. Februarij, singularissimum illud *Bulle Sabbatine* Priuilegium, denuo approbauerit & confirmauerit; insuper & prædicto anno 1609. huic *Commemorationis solemnis B. Mariæ Virg.* festiuitati, integram Octauam in Officijs proprijs huius Ordinis tunc Romæ editis, & à sacra Rituum Congregat. probatis, addiderit; &c.

Beneficia in nouem his postremis Noctis recensita, ipsiusque festi institutionem subsequenter, id effecerunt, vt tanta eidem celebritas paulatim superaddita sit, vt hoc tempore quàm solemnissime cum publicis Processionibus, Indulgentijs plenarijs, ingentiq̃ue populi concursu ac deuota gratiarum actione celebretur. Quia vero lectiones, quæ in matutino huius festi officio, ex Sedis Apostolicæ ordinatione & approbatione leguntur, nonnullas etiam ex præfatis causis institutionis & festiuitatis Commemorationis solemnis continent, illas in gratiam Lectoris subiicio.

Lectiones sacre II. Noctur. Festi Commemorationis solemnis B. Mariæ Virg. de monte CARMELO.

CVM sacra Pentecostes die *Apostolicæ* litus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato augustissimo IESU nomine mira multa patrent, viri plurimi, qui
vesti-

vestigijs sanctorum Prophetarum *Eliae* ac *Ex Bre-*
Elisei institerant, & *Ioannis Baptiste* præco-^{uiario}
 nio ad *Christi* aduentum comparati fuerant, ^{Carmel.}
 rerum veritate perspecta atque probata, ^{nouissimè}
 Euangelicam fidem confestim amplexati ^{an. 1625.}
 sunt, ac peculiari quodam affectu beatissi-^{à Sede A-}
 mam *Virginem* (cuius colloquio & familia-^{postolica}
 ritate feliciter frui potuère) adeò venerari ^{approbato,}
 cœperunt, vt primi omnium in eo montis ^{ex Offi-}
Carmeli loco, vbi *Elias* olim ascendentem ^{cij's pro-}
nubeculam Virginis typo insignem conspe-^{prij's Car-}
 xerat, eidem purissimæ *Virgini* ^{Discale.}
 construxerint. Ad nouum ergo *facellum* ^{an. 1609.}
 sæpè quotidie conuenientes, ritibus pijs, ^{1628. à}
 precationibus ac laudibus beatissimam *Vir-* ^{Sac. Rit.}
ginem velut singularem Ordinis tutelam ^{Congreg.}
 colebant. Quamobrem *Fratres B. Mariæ de* ^{recognitis}
monte Carmelo passim ab omnibus appellari ^{appro-}
 cœperunt; eumque titulum Summi Ponti-
 fices non modo confirmarunt, sed & indul-
 gentias peculiare ijs, qui eo titulo vel Or-
 dinem, vel *Fratres* singulos nuncuparent,
 concessère. Nec verò nomenclaturam tan-
 tum munificentissima *Virgo* tribuit & tute-
 lam, verùm & insigne sacri *Scapularis* quod
 Beato *Simoni Anglico* præbuit, vt cœlesti hac
 veste Ordo dignosceretur, & à malis in-
 gruentibus protegeretur. Ac demum cum
 olim in Europa Ordo esset ignotus, & ob
 id apud *Honorium III.* non pauci pro illius
 extinctione instarent, adstitit *Honorio* noctu

purissima Virgo MARIA, planeq; iussit, vt institutum & homines benignè complecteretur. Non in hoc tantum sæculo Ordinem sibi tam acceptum, multis prærogatiuis beatissima Virgo insigniuit, verùm & in alio (cùm vbiq; & potentia & misericordia plurimum valeat) filios in *Scapularis societatem* relatos, qui abstinenciam modicam, precesq; paucas eis præscriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dum igne purgatorio expiantur, solari, ac in cœlestem patriam obtentu suo quantocyùs piè creditur efferre. Tot ergo tantisque beneficijs Ordo cumulatus, *solemnem beatissimæ Virginis Commemorationem* ritu perpetuo ad eiusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit.





COMPENDIUM

PRIVILEGIORVM, GRATIARVM,
& Indulgentiarum antiquissima & celeberrima
Confraternitatis Sacri SCAPVLARIS,

Gloriosiss. Dei Genitricis semper Virg.

MARIÆ de monte

CARMELO.

QVANDO Priuilegia, Confraternitati
Beatiss. Virginis MARIÆ de monte
CARMELO concessa, paucis præscribimus,
operæ pretium visum est, nonnullos fauo-
res, ab eadem Virgine suo huic Ordini col-
latos, breuiter prælibare: vt Confratres, qui
in partem eorum venerunt, norint, quam
speciale Virginis patrocinium sibi sacri SCA-
PVLARIS beneficio comparauerint.

CARMELVS ergo, mons ille Syriæ nobi-
lissimus, tametsi cum situs amœnitate, tum
vberrate foiti, vsque adeo est commendabi-
lis, vt Spiritus sanctus mysticos capitis Spon-
sæ suæ decores expressurus, non aptiori
symbolo vsus sit, *Caput tuum*, inquit, vt *Cant. 6. 7.*

CARMELVS; longè tamen minus est, quod ei
natura indidit, quam quod, profusa in il-
lum MARIÆ gratia impertiuit. Certè quod
de Sponso Sponsa differuit, id ipsum illa
de charo sibi monte, iure dictura videtur:

Bb. 4.

Dile-

a) B. Ioan. *Dilectus meus mihi, & ego illi*: quippe cui ante
Patr. Iero- profuit a quam fuit, ac vicissim prius ipsa
sol. libr. de in eo laudata est, b quam nata.
institut.

Monach. c. 32. & seq. Ioan. Paleonyd. lib. 2. de orig. & progress. Ord.
Carm. Thom. à Iesu, dub. 2. part. 2. Exposit. in Reg. Carm. & alij.
 b) *Ioan. Trith. c. 7. de laud. Carm. Paleonyd. lib. 1. cap. 2. Ange-*
lus de Paz, Tom. 1. in symb. lib. 5. c. 22. Ioan. Pintus in Hierach.
Carm. Tom. 1. Tractat. 5. & alij.

Annis enim antequam oriretur, amplius
 nongentis, agentem eo in monte Sanctissi-
 mum Vatem, & Carmelitarum Protoparen-
 tem ELIAM, Deus (intuitu haud dubie eius-
 dem Virginis) mirâ prorsus gratiâ dignatus
 est; eam c videlicet in typo ascendentis è
 mari nubeculæ præmonstrando, diuinumq;
 fructum, quem illa saluo virginitatis flore,
 erat, editura. Nec mora, gratissimus Prophe-
 ta, sacram illi, propter quam tanta gratia
 donatus fuerat, Religionem d auspicatus,
 Ordinis Carmelitici fundamenta iecit.

e) S. Aug.
serm. 20.
 Ioannes
 Patriar.
ut supra.
 Hugo
 Cardin.
in Com.
 3 Regum.

Pet. Lucius in Compend. hist. Carm. cap. 1. Didac. Maldonat. in
Dilucid. hist. lib. 5. cap. 10. Iod. Cliech. 3. part. serm. alijq; permulti.
 d) S. Hieron. *epist. ad Paulin. B. Ioan. Patr. Ierosol. XLIV. in sua*
institut. Monach. S. Isidor. li. 2. de officijs. Ruper. Abbas in c. 3. Cant.
Ioan. XXII. Sixtus IV. Iulius III. Pius V. Gregor. XIII. Sixtus V.
Clem. VIII & Paul. V. Sum. Pontif. in Bullis concessis Ord. Carm.
Thom. Waldens. Tom. 1. Doctr. fidei. & Tom. 3. de Sacram.
Trith. lib. 1. de ortu & progress. Ord. Carm. Laurent. Beyerlinck
in Theat. vit. hum. lib. 16. Iod. Cliech loco citat. & alij penè innum-
meri, qui videri possunt apud Paleonyd. Thom. à Iesu, Ioan. Car-
thag. Tom. 4. lib. 17. & alios. Imo, ut inquit, Caspar Sanchez
Sos. Iesu in Comment. lib. 3. Reg. cap. 17. Hæc est omnium penè
gentium constans & perpetua traditio. & P. Suarez de Relig.
Tom. 4. lib. 2. de varietate Relig. in specie, cap. 10. Est autem aut.
 valde

valde recepta & satis antiqua traditio, Religionem Carmelitarum à temporibus Prophetarum & signatim ab Elia institutione suam ducere originem, & quasi hæreditariam successionem in monte Carmelo, à quo nomen etiam accepit, quam traditionem vt veram suscipimus, &c.

Qui sensim adolescens, sub Elisæo filijsq; e) Ioannes Patriar. e Prophetarum, sic accreuit; vt viuo etiam. li. cit. cap. tum Elisæo, dicerent sui discipuli: f) Ecce 22. & seq. locus in quo habitamus coram te, angustus est no- Paleonyd. bis; proindeq; sparsi per oram Iordanis, ere- libr. 1. de miricas sibi cellulas construerent, in quibus, Orig. Carm. die ac nocte in lege Domini meditantes, mel. c. 4. præstolabantur cum silentio salutare Dei: Pet. Luci⁹ quem de Virgine nasciturum, g) continua in cõp. hist. Patrum suorum traditione acceperant. cap. 3. & 4. Didac. Coria,

Thom. à Iesu, Franciscus à S. Maria, Ioan. à Iesu Maria, & alij.

f) 4. Reg. cap. 6.

g) Ioan. Patr. XLIV, lib. citat. cap. 32, & 35. Ferdin. Salaz. in defens. pro immacul. Deip. Virg. Concept. cap. 38. Petrus Oxeda infor. Iuris. part. 1. cap. 1. alijs non pauci.

Aduenientibus autem temporibus, quæ, h) Richar. lapsi hominis reparationi fuerant præstitu- Armach. ta, nascitur haud procul CARMELO, Carmeli apud Thõ. Mater, Dei genitrix mox futura. Vt fuit; fre- Waldens. quens h) CARMELVM inuisere suosq; Car- de Sacra. melitas, sacris nouæ legis mysterijs, ore pro- titul. 9. prio imbuere consuevit, sic Filium quan- Mart. doque affata: Vadam & narrabo nomen tuum Italus in suis Chrõ. FRATRIBVS meis, Patris ELIÆ filijs. Vbi obi- Bapt. mät. ter Carmelitarum grande decus aduerte; in Parthē. quam enim Angeli Dominam, Deus ipse Mar. & Matrem salutat; eos illa FRATRES (cum ante apolog. pro Carm.

Petr. Lucius in compend. hist. cap. 9. *Ioan. à Victoria Tom. 1.* *Hierarch. Carmelit. Did. Mal-donat.* *Thom. à Iesu.* *Ioan. Carthag. & alij permulti.*

Filij Prophetarum dicerentur) fœliciori longe titulo compellat: & vero Summi Pontifices i nomenclaturam hanc approbantes, omnibus & singulis Fidelibus, qui Ordinem, vel Fratres eiusdem Ordinis, Ordinem seu Fratres Gloriosissima Dei Genitricis semper Virginis MARIÆ de monte CARMELO vocauerint, si in gratia extiterint, tres annos Indulgentiarum, totidemq; quadragenas, liberatim concesserunt.

i) *Innocent. IV. Urbanus VI. Nicolaus V.*

Porro illi gratitudinis ergo, primi omnium, ei adhuc viuenti, templum k suo in monte dedicarunt. Cui gratiæ, vt gratiam adderet Mater gratiæ, domum, quam ad Ierosoly mam parentum suorum hæreditate naçta fuerat, rarâ omnino beneuolentiâ, iisdem dono l cessit: aliamque illam quam Nazarethi vna cum Filio pluribus annis incoluit, ac deinde Lauretum, Angelorum ministerium importauit, quamdiu in Oriente fuit, non alij quam suorum Carmelitarum m curæ concre lidit.

B. M. V. Hist. Rom. Waldens. de Sacram. tit. 9. Philip. Ribotti en speculo Histor. & alij complures, qui videndi sunt apud Thom. à Iesu, in libr. de varijs Reg. Carmelit. part. 2. dub. 2.
 l) *Ioan. Grossi in Viridar. Ioan. Balistar. in suo Compend. histor. Pintus Tom. 1. Hierarch. Carmelit. Tract. 5. & alij.*
 m) *Bapt. Mantuan. in Histor. Eccles. Lauret. & alij domus Lauretana Scriptor.*

Am-

Amplius, proprium Corpus, augustum illud Sanctissimæ animæ, imo Dei humanati tabernaculum, non modo Apostolis, verum etiam suis illis Fratribus, (nam eos moritura n̄ aduocauerat) pia Soror sepeliendum n̄ dimisit.

n) *Man-
tuan. in
Apol. pro
Carmel.
& in vit.
S. Dionys.
Areopag.
libr. 1.*

*Ioan. à Victoria, Tract. 5. Hierarch. Carmel. Didacus Coria, in
in Dilucid. hist, lib. 1. cap. 26. & alij.*

Cæterum cælo recepta, tum demum, ut sibi diues; sic illis munifica videri potuit: quippe sedulius, & à malis eos tuita, & bonis dignata maioribus. Tutela alias quidem sæpius, sed tunc luculenter apparuit, cum in Europam ex Oriente migrantibus, toto pene obstante mundo, manum Virgo porrexit, & duobus præcipuis eorum æmulis morte repentina mulctatis, ipsa HONORIO III. Pontifici Maximo per visum apparuit, & iubens, viros benignè complecteretur, suumq; institutum Apostolica auctoritate firmaret: non est, inquit, aduersandum in his dum iubeo, nec dissimulandum, dum promoueo.

o) *Paleon.
libr. 3. de
orig. Car-
mel. cap. 5.
Thom. à
Iesu, lib. 1.
de antiq.
Ord. Car-
mel. c. 7.
Hieron.
Platus de
bon. stat.
Relig.
lib. 2. c. 12.*

*Petr. Thom. in vit. S. Simonis Stock. Carth. Tom. 4. lib. 17. Hom. 1.
Ferdin. à S. Maria, in præfat. Apostolicorum Priuileg. Roder.
Tom. 2. quæst. Regular. quæst. 97. art. 7. alijq; permulti.*

Iam vero gratiarum quis vel numerum edisserat, vel dignitatem pro merito expendat? instar omnium esto vna illa Sacri SCAPVLARIS, p̄ quod ipsa B. SIMONI Stock, quondam Ordinis Generali, detulit: Recipe, inquit,

p) *Laurer.
Beyerl. in
Theatr.
vit. hum.
libr. 16.*

inquit,

Paleonyd. inquit, hoc Ordinis tui SCAPVLARE, meo
libr. citat. Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carme-
cap. 7. litis PRIVILEGIUM, in quo quis moriens eter-
Mirans de num non patietur incendium. Ecce signum salutis,
orig. & salus in periculis, foedus pacis & pacti sempiterni.
increm. O donum vere Dei Matre dignissimum!
Ord. Car- Nam quid dulcius miseris, quam signum Sa-
mel. cap. 6. Leo à S. lutis, quid iugiter periclitantibus optabilius,
Ioanne, in quam salus in periculis, quid tandem homi-
Typo vest. nibus naturâ filijs iræ sapidius, quam foedus
Relig. pacis & pacti sempiterni? Idque tam sanctè
sect. 9. cum Deo initum, ut (spondente sic Sanctif-
Carthag. l. 17. Tô. 4. lissima Virgine) qui in illo mortuus fuerit,
l. 17. Tô. 4 æternum non sit passurus incendium? sensu
Ioã. à Iesu tamen ei consimili, quo veritas æterna de
Maria, S. Eucharistia pronuntiat: Qui manducat
in vit. S. Thom. à hunc panem viuet in æternum: & de fide,
Thom. à Iesu, libr. cit. cap. 8. Marc. 16. Qui crediderit & Bapizatus fuerit,
cit. cap. 8. Pint^o r^o. 1. saluus erit: aliaque huiusmodi. Quemadmo-
Hierarch. dum enim dictis operibus, salus animæ, &
Carmel. vita æterna promittitur, eo tantum, quod
Tract. 5. tametsi sola minimè sufficiant, sunt nihilo-
cap. 3. 4. minùs vtilissima, & ad illam obtinendam
5. & 6. præcipuè conducunt; ita Sanctissima Virgo,
Michael sacrum SCAPVLARE gestantibus, idem pol-
à Fonte, in licetur, quia licet solum ad salutem non suf-
Compend. ficiat; tamen, propter compromissam illi
hist. lib. 3. specialissimam eiusdem potentissimæ Virgi-
Petr. Thö. nis intercessionem, insigniter adiuuat, plu-
in Menol. rimumque ad illam facit. Neq; vero nouum
Petr. Lu- est, etiam in Phisicis effectum causæ princi-
eius in cõ- pend. hist. Carmel. palii,

pali, esto totalis ea non sit, absolutè tribui. *Didac.*
 Agnouerunt id optime Pontifices, Cardina- *Maldona-*
 les, Episcopi. plurimique variorum Ordi- *rus lib. 10.*
 num Religiosi; Imperatores, Reges, Princi- *cap. 12. &*
 pes, & reliquum sine numero vulgus: qui, *prater a-*
 vt dicto thesauro potirentur, vltro sacrum *lios quam-*
 SCAPVLARE requisierunt, tuleruntque *plurimos,*
 perpetuo. *omnes*
Scriptores
vita S.
Simonis
Stock.

PORRO quia tanto bono, alijsque pluri-
 mis illi annexis, & infra partim saltem
 referendis, fruiturum, nonnullas con-
 ditiones (non quidem sub vllò peccato
 etiam veniali) obseruare oportet; eas autem
 plures, vel ignorant, vel ita confundunt, vt
 quæ pro diuersis gratijs diuersæ requisitæ
 sunt, eas omnes, ad singulas lucrandas, ne-
 cessarias æstiment; visum est, præcipuas gra-
 tias almæ huic Confraternitati concessas,
 paucis præscribere, singulisque suas obli-
 gationes, breuiter ac distinctè subijcere;
 itaque.

I. CONFRATRES & Consores Sanctis-
 simæ Virginis MARIE de monte Carmelo,
 participes sunt omnium totius Carmelita-
 rum Ordinis spiritualium bonorum. Ad
 quod obtinendum, præsupposito statu gratiæ,
 sufficit esse Confratrem, vel Consores. Ad hoc
 autem vt quis sit, & censeatur Confrater,
 non alio opus est, quam Confraternitatis
 albo nomen dare, Scapulare benedictum ab
 aliquo

aliquo Ordinis Prælato, vel habente ab eo authoritatem, suscipere, & continuo ad cololum gerere. Quod si usu tritum, vel casu perditum fuerit, licebit aliud substituere.

II. Ex concessione CLEMENTIS VII. & GREGORIO XIII. approbata, & hætenus valida, participant dicti Confratres, & Consores suffragia, Eleemosynas, Ieiunia, Orationes, Missas, Horas canonicas, Flagellationes, Peregrinationes, omniaque bona spiritualia, quæ fiunt non modo ab omnibus alijs Religiosorum Ordinibus, verum etiam quibuscunque Sodalitatibus, Congregationibus, imo & vniuersa Ecclesiæ idque non ratione alicuius extensionis, aut etiam (vt male quidam putauerunt) propter generalem illam communicationem, qua Fideles, hoc ipso quod in vnâ Charitatis radice vniuntur, sua inuicem bona participant; sed modo multo intimiori, ac in speciali Pontificum concessione fundato. Vt proinde, si multum est vnius duntaxat viri Sancti orationibus communicare, sit haud dubiè longè maximum, tot Sanctorum, quot vniuersa habet Ecclesiæ, bonis ac meritis, eo speciali modo, gaudere. *Ad hoc autem Priuilegium & gratiam consequendam, idem quod pro primo requiritur & sufficit.*

III. GAUDENT præterea plurimis, ijsque maximis Priuilegijs: in his ex indulto CLEMENTIS VII. possunt in suum eligere Confessorem,

fessorem, quemlibet Sacerdotem idoneum
 siue sæcularem, siue Regularem, qui vt cen-
 seatur idoneus his temporibus, si sit sæcula-
 ris debet esse approbatus, ex decreto Concil.
 Trident. à loci Ordinario; si vero Regula-
 ris, non modo ab Ordinario, verum etiam
 à suo Superiore iuxta decret. CLEMENT.
 VIII. *Quæcunque à Sede Apostolica.* Hic Sa-
 cerdos in Confessarium electus, poterit au-
 thoritate Apostolica, Confratres à quibus-
 uis, etiam maioris excommunicationis, su-
 spensionis & interdicti, alijsque Ecclesiasti-
 cis sententijs, censuris & pœnis, à iure qua-
 uis occasione, vel causa pro tempore latis, &
 à quibusuis etiam, quibus pro tempore ir-
 recitari fuerint, etiam si illorum absolutio Sedi
 Apostolicæ specialiter vel generaliter (ex-
 ceptis mox dicendis) reseruata foret: & ab
 omnibus eorum peccatis, criminibus, ex-
 cessibus & delictis, quantumcunque graui-
 bus & enormibus, etiam talibus, propter
 quæ Sedes prædicta merito consulenda fo-
 ret, in casibus dictæ Sedi qualitercunque re-
 seruatis (exceptis contentis in litteris, in die
 Cœnæ Domini legi solitis, necnon violatio-
 nis immunitatis & libertatis ecclesiasticæ, &
 clausuræ monasteriorum Monialium &c.
 necnon violentæ manus iniectiois in Cle-
 ricum & singularis certaminis, siue duelli,
 & alijs casibus per dictam Bullam CLE-
 MENT. VIII. *Quæcunque à Sede Apostolica.*
 refer-

referuatis) semel in vita & in mortis articulo: de alijs vero dictæ Sedi non referuatis casibus, toties quoties opportunum fuerit, eorum confessionibus diligenter auditis, absoluerit, illisque pro commissis pœnitentiam salutarem iniungere. *Hoc, & sequenti Privilegio fruiturum, oportet & sufficit esse Confratrem.*

IV. POTEST vi eiusdem indulti idem Confessarius, vota quæcunque, visitationis ultramarin. liminum Beatorum PETRI & PAULI Apostolorum de vrbe, ac S IACOBI in Compostella; necnon Religionis & castitatis votis exceptis, in alia pietatis opera commutare, & iuramenta quæcunque sine tertij præiudicio relaxare; atque omnium eorum peccatorum, semel in vita, & in mortis articulo, etiamsi tunc non subsequatur, plenariam remissionem, & absolutionem (quæ verba indulgentiam plenariam sonant) autoritate Apostolica impendere.

V. LICET etiam omnibus & singulis vtriusque sexus Confratribus, tempore interdicti etiam Apostolici, vel cessationis à diuinis (dummodo ipsi huiusmodi interdicto, seu cessationi causam non dederint, neque per eos stet quo minus interdicto pareatur) ianuis clausis, exclusis excommunicatis, & interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce, Missas, & alia diuina officia,

officia, per Sacerdotes sæculares, vel Regulares celebrare; etsi contingat, eos vel eorum aliquem tempore interdicti huiusmodi, ab humanis decedere, corpora eorum ecclesiasticæ sepulturæ, cum aliqua, honesta tamen funerali pompa, tradi possunt. *Ad hoc etiam satis est, esse Confratrem vel Consororem.* Alia priuilegia ab eodem CLEM. VII. concessa videri queunt, in diuersis huius Archiconfraternitatis libellis.

VI. FRVNTVR præterea Confratres & Consores, maximo & nulli alteri Confraternitati communi Priuilegio: quod vulgo *Bulle Sabbatinæ* cognominant. Quod cuiusmodi sit, IOANNES XXII. in Bulla *Sacratissimo* ut in culmine, his verbis exponit: *Mihî flexis genibus supplicanti, visa fuit Virgo Carmelita, sequentem effata sermonem. O Ioannes Ioannes, Vicarie mei dilecti Filij, audi & cito votum meum comple, si te à tuo, vis ut eripiam aduersario, & te solum Papam, meis coadiuuantibus supplicationibus, faciam: & si quid à meo dulcissimo Filio petieris, gratiosè ac benignè impetrabis. Ita ergo gratiarum amplam, meo Sancto ac deuoto Carmelitarum Ordini, debeas confirmationem piè concedere: per ELIAM & ELISÆVM in monte CARMELO inchoato. Et post pauca, & in terris assentiri ijs, quæ in cœlis semel statuit, & ordinauit, ipse Filius meus. Videlicet quod qui dicto Ordini nomen dederint, vel deuotionis causa, Confratres eiusdem*

Cc

fuerint,

fuerint, moxque tradenda obseruauerint:
 eos illa, suis intercessionibus continuis,
 pijsque suffragijs & meritis, ac speciali pro-
 tectione adiuuabit, vt sequenti post eorum
 obitum Sabbatho, è pœnis Purgatorij libe-
 rentur. Quod probans & confirmans idem
 Pontifex ita subdit: *Istam ergo sanctam Indul-*
gentiam accepto, roboro, & in terris confirm-
sicut propter merita Virginis Matris, gratiam
IESVS Christus concepit in cœlis. Eandem sapius
 postea confirmarunt varij Summi Pontifi-
 ces *Alexander V. Clemens VII. Pius V. Grego-*
rius XIII. & XIV. Sixtus V. Clemens VIII. &
 nouissime *Paulus V.* Hanc autem singularis-
 simam gratiam, qui adipisci desiderat tria
 obseruare debet. 1. *Sacrum Scapulare iugi-*
ter gestare. 2. *Castitatem* (non quidem vo-
 tum eius concipiendo, sed propositum
Virgines virginitatem, Vidua continentiam
quandiu innupta manent, si vero postea nups-
erint Castitatem conjugalem. 3. *Horas Canoni-*
cas iuxta formam à B. ALBERTO Patriarcha
Hierosolymitano Patribus Carmelitis prescri-
ptam recitare: quam formam ipse Albertus sit
 proponit. Hi qui horas Canonicas cum Cle-
 ricis dicere norunt, eas dicant secundum
 constitutionem Sanctorum Patrum, & Ec-
 clesie approbatam consuetudinem. Ex quo
 colligitur, *satisfacere huic obligationi, qui offi-*
cium Canonicum quodcunque, siue Romanum,
siue

sive specialis alicuius Ecclesie, vel Religionis, imo paruum B. MARIÆ Virg persoluerit. Nescientes autem litteras, debent diebus ab Ecclesia præscriptis ieiunare, & feria quarta & Sabbatho (nisi quando natalis Domini cointiderit) à carnibus abstinere : aut iuxta Regulam prædicti Alberti

* in ferijs octuaginta duo, in Festis autem & Dominicis centum & septem Pater noster recitare.

* Videndi sunt de hac condit. præter alios complures, Bulla Ioã. XXII Petrus Lucius in suo Compendio histor. & Thom. à Iesu, lib. de Confrat. B. M. V. de monte Carmelo.

Probabile tamen est, posse Prælatos Ordinis, seu Confessarios, hanc abstinentiæ, aliamq; illam officij recitandi conditionem, urgenti de causa, in alia opera pia æquivalentia mutare; & si (quod Deus auertat) quispiam Confratrum, ab huiusmodi conditionum obseruantia aliquando deficeret, dummodo postea resurgat, & seruanda seruare proponat, non ideo tanto hoc priuilegio priuandum esse.

VII. PLVRIMAS, & amplissimas Indulgentias concessere sacro Carmelit. Ordini, illiusque Ecclesijs, ac Confraternitati Romani Pontifices, S. Leo IV. qui sedit anno 848. Adrianus II. anno 868. Stephanus V. anno 888. Sergius III. anno 909. Ioannes X. & XI. Gregorius V. Sergius IV. Alexander II. Gregorius II. & VIII. Clemens III. Honorius III. Innocentius IV. Clemens IV. Nicolaus IV. Urbanus VI. Ioannes XXII. Nicolaus V. Sixtus IV. Clemens VII. & alij vsque ad Paulum V. qui ob reuerentiam gloriosiss. Dei genitricis semper Virg. MARIÆ de monte Carmelo,



& singularem deuotionem, quam ad illam, & Sacr. Carmelit. Ordinem, eiusdem Dei genitricis *MARIÆ* titulo specialiter insignitum, gessit, subiectas indulgentias, (post reuocat. Indulg.) huic celeberrimæ Archiconfraternitati sacri *Scapularis* anno 1606. elargitus est.

1. Concedit sua sanctitas, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem vbiuis locorum, tam hæctenus canonicè institutam, quam deinceps instituendam, de cætero ingredientur, & habitum receperint, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes, & confessi Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam Indulgentiam.

2. Descriptis & describendis in dicta Confraternitate, verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui in festo principali *Commemorationis eiusdem B. MARIÆ* die 16. mensis Iulij, aut iuxta ritum nonnullorum locorum die Dominica immediate sequenti celebrari solito, Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matr. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenar. Indulg.

3. Omnibus vtriusque sexus Confratribus & Consororibus, qui similiter pœnitentes

tentes & confessi, ac Sacra communione refecti, Processioni, in vna Dominica cuiuslibet mensis per dictam Confraternitatem, de Ordinarij loci licentia, faciendæ, deuotè interfuerint, & ibi, vt præfertur, orauerint, septem annos & totidem quadragenas: in alia vero Bulla data an. 1609. concedit plenariam. Alij autem non Confratres, qui dictæ processioni interfuerint, centum annorum Indulgentiam ex indulto *Sixti V.* consequuntur.

4. Iisdem Confratribus & Confororibus, qui in mortis articulo pœnitentes & confessi, ac Sanctiss. communionerefecti, nomen *I E S V* ore, si potuerint, sin autem corde deuotè inuocauerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem.

5. Concedit ijs, qui ab esu carniū illis diebus, quibus Confratres dictæ Confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies Indulgent.

6. Illis, qui qualibet die septies Orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam ad honorem septem gaudiorum eiusdem *B. MARIE* Virg. recitauerint, quadraginta dies.

7. Qui cum habitu eiusdem Confraternitatis pœnitentes, & confessi semel in mense *SS. Eucharistiæ* Sacramentum sumpserint,

rint, & vt præfertur, orauerint, quinque annos & totidem quadragenas.

8. Qui pœnitentes & confessi, in qualibet ex Festiuitatibus eiusdem B. MARIE Virg. SS. Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia, vel Capella dictæ Confratern. deuotè sumplerint, & vt supradictum est, orauerint, tres annos & totidem quadragenas.

9. Qui cum lumine Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, & pro iisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint, quinque annos, & totidem quadragenas.

10. Qui corpora defunctorum tam Confratrum & Confororum, quam aliorum ad sepulturam associauerint, & pro eorum animabus Deum orauerint, centum dies.

11. Qui Officium eiusdem B. MARIE Virg. deuotè recitauerint, centum dies.

12. Qui vero Missis & alijs diuinis officijs in Ecclesia, vel Capella aut Oratorio dictæ Confraternitatis pro tempore celebrandis & recitandis, seu Congregationibus publicis, vel priuatis eiusdem Confraternitatis, vbiuis faciendis interfuerint, aut pauperes hospicio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, vel in periculo peccandi existentibus, auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis proprijs, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel pro-

procurauerint, aut deuium aliquem ad viam salutis reduxerint, & ignorantes Dei præcepta, & ea quæ ad salutem sunt, docuerint, aut quodcunque pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet prædictorum piorum operum, centum dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta relaxat.

VIII. IN SVPER permisit idem Papa PAVLVS V. subsequentiū Indulgentiarum, à varijs Pontificibus perpetuo concessarum, in Camera Apostolica impressionem & publicationem.

Leo Papa IV. concessit vniuersis Confratribus & omnibus Christi fidelibus, qui Ecclesias B. MARIE de monte Carmelo, huiusmodi in festis Natiuitatis Dominicæ, Paschæ, Pentecostes, Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis eiusdem Dei Genitricis MARIE, S. Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, in duobus festis sanctæ Crucis, Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, Sanctorum martyrum Fabiani, & Sebastiani, & in die Parasceues, & per octauas præfatarum festiuitatum, & vocabulis omnium Ecclesiarum dicti Ordinis deuotè visiterint, septem annos, & totidem quadragenas.

Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. & XI. Sergius IV. & Innocentius IV. omni-

bus Christi fidelibus verè pœnitentibus, contritis, & confessis, qui præfatas Ecclesias piè visitauerint in prædictis festiuitatibus, & earum octauis, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.

Clemens III. Alexander II. Gregorius V. & VII. in prædictis festis, & in quolibet eorundem similem gratiam largiti sunt.

Clemens IV. eisdem Christi fidelibus, qui præfatas Ecclesias quater in anno visitaerint, videlicet in quatuor festiuitatibus eiusdem Dei Genitricis *MARIÆ*, triginta annos, & totidem quadragenas piè concessit.

In Priuilegio generali *Lucij* Papæ III. remittuntur ab eodem peccata leuia, offensæ parentum, & negligentia votorum fractorum, dum tamen fractor ad vota rediret, & malè acquisita, si nescitur cui restitui debeant, prædictis locis, seu illorum domibus assignentur.

Innocentius IV. & Gregorius VIII. concesserunt qualibet die, cuilibet dicenti *Pater noster*, & *Aue Maria* in dictis Ecclesijs semel pro viuis, & defunctis, quadraginta dies Indulgentiarum.

Honorius III. & Nicolaus IV. omnibus verè pœnitentibus omnium peccatorum suorum, veniam polliciti sunt.

Honorius IV. omnibus verè pœnitentibus, & confessis, dicti Ordinis Ecclesias visitantibus, quadraginta annos, & totidem quadragenas

dragenas de iniunctis eis pœnitentijs; videlicet, in festo Vocabulorum ipsarum Ecclesiarum, & in die sancto Parasceues, nec non in die S. Crucis, ac in festiuitatibus Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis, & Assumptionis Dei Genitricis *MARIÆ*, misericorditer in Domino relaxauit, & concessit.

Benedictus XI. omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ter in hebdomada, videlicet, Quadragesimali tempore, secunda, quarta, & sexta ferijs, & etiam in festis vocabulorum omnium Ecclesiarum dicti Ordinis, nec non diebus Sabbathi ad B. Dei Genitricis reuerentiam, & in diebus Dominicis, easdem Ecclesias piè visitarent, quadraginta annos, & totidem quadragenas, & omnium peccatorum septimæ partis remissionem in Domino relaxauit; omnesque Indulgentias, & peccatorum remissiones à suis Prædecessoribus Romanis Pontificibus, dicto Ordini concessas in diebus, & in festis præfatis duplicando.

Ioannes XXII. omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones à Romanis Pontificibus Prædecessoribus suis, dicto Ordini concessas, confirmauit, & quadraginta annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentijs vniuersis Christi fidelibus dicti Ordinis Ecclesias in qualibet solemnitate quatuor festiuitatum B. Dei Genitricis *MARIÆ*, videlicet Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis, duplicando.

ficationis, & Assumptionis visitantibus contritis, & confessis, in Domino piè concessit.

Urbanus VI. perpetuo concessit ijs, qui Ordinem Carmelitarum, & Fratres eiusdem Ordinis, Ordinem, seu Fratres Ordinis Gloriosissima Dei Genitricis, semperq; Virginis *MARIÆ de monte Carmelo* vocauerint, nominauerint, & appellauerint, si in gratia extiterint, tres annos, & totidem quadragenas Indulgentiarum.

Nicolaus V. omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac omnia Priuilegia dicto Ordini à supradictis Romanis Pontificibus prædecessoribus suis, in prædictis diebus, & festis concessa, Motu proprio duplicando confirmauit, atque annos septem, & totidem quadragenas in Domino relaxauit.

Sixtus Papa *IV.* omnes Indulgentias Ordini prædicto, & illius Domibus, Ecclesijs, ac personis vtriusque sexus in genere, vel in specie quomodolibet concessas, in suo robore, suaq; firmitate confirmauit, approbauit, & innouauit, ac denuo concessit; & omnium Mendicantium Indulgentias, ad Carmelitas, & alias personas extendit, ac si nominatim illis concessæ fuissent; & in Conceptionis, Præsentationis, Natiuitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis *B. Dei Genitricis MARIÆ* festiui-

festiuitatibus, & per septem dies sequentes, & in diebus vocabulorum Ecclesiarum, visitantibus Ecclesias, triginta annos & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxauit.

Tandem *Clemens VII.* post *Ioannem XXII.* & *Alexandrum V.* eorum litteras approbando, habitum Gloriosiss. & Beatiss. Virg. *MARIÆ* gestantibus, seu Confraternitatem ingredientibus, & alia seruantibus, vt in eisdem litteris continetur, Indulgentijs, peccatorum remissionibus, & gratijs singulis vtriusque sexus concessis, perpetuæ firmitatis robur addidit, & innouauit, ipsisque & alijs visitantibus Ecclesias, Indulgentias stationum in Ecclesijs Almæ vrbis, tam intus, quam foris, temporibus, quibus eadem indictæ sunt, indulgit, & concessit; ita vt, visitando dictas Ecclesias, tot, & singulas similes Indulgentias, & peccatorum remissiones consequantur, quas consequerentur, si singulis diebus, easdem singulas dictæ Urbis, & extra Ecclesias, pro stationibus huiusmodi deputatas personaliter visitarent. Quas etiam *Pius V.* approbavit & confirmauit.

Supradictas Indulgentias refert, & nouissimè approbat, & confirmat *Gregorius XIII.* in Bulla, *Vt laudes.* die 18. Septemb. an. 1577. Pontif. sui anno 6.

Porro

Porro sciendum, quod Indulgentiæ Stationum Basilicarum, & Ecclesiarum Rom. amplissimæ sint, & innumerabiles, quas hic breuitatis causa transeo; lectore interim remisso, ad diuersos Tractatus, quos hoc nostro æuo doctissimi Viri, de antiquissimæ & celeberrimæ huius Confraternitatis Priuilegijs atque Indulgentijs conscripsere, in quibus etiam indicatur, quibus per annum diebus possint Confratres animam aliquam è purgatorio liberare. Ad proximè dictas Indulgentias lucrandas, requiritur, vt Confratres in diebus Stationum Rom. contriti, & confessi Ecclesiam aliquam deuotè visitent. Cæteri vero fideles eiusdem *Gregor. XIII.* concessione has Indulgentias lucrari cupientes, debent ijs diebus contriti & confessi dictas Ord. Carmelit. Ecclesias visitare, ibiq; septies orationem Dominicam, iidemq; Salutationem Angelicam, vel vesperras pro defunctis recitare, aut ante Sanctissimum Domini nostri **I E S V** Christi corpus terram exosculari, ac pro hæresum extirpatione, Sanctæq; matris Ecclesiæ tranquillitate, Christianorumq; Principum pace & vnione pias ad Deum preces effundere.

Illud tandem aduertendum, quamuis quo ad hoc nulla sit obligatio, consultum tamen ac laudabile esse, valdeq; proficuum, vt Confratres omnibus festis **SS. Virginis, S. I O S E P H** Sponsi, & **S. A N N Æ** Matris eius

eius præmissa confessione Eucharistiam sumant.

HÆc sunt, alma Confraternitas, quæ de gratijs tibi concessis, pro ratione finis nobis præstituti, dicere visum est. Neque enim animus fuit eas omnes, intra huius compendij angustias, circumscribere, sed præcipuas duntaxat indicare: nihil quidem ad rationem probando, sed tamen hoc præmissio, quidquid supra dictum est, solide sibi constare. Superest, vt debita ad Dei tuamq; Matrem gratitudine, bonis tuis fruare: Sacrumq; eius SCAPVLARE tanti facias, quanti tot gratiarum arrham æquum est æstimari. Præterquam enim ipsis hominum Corporibus prodest vsque adeo, vt quod de se Christus ad Ioannem, idem proportione quadam, de SACRO SCAPVLARI dici possit, *Cæci vident, Claudii ambulant, Leprosi mundantur, Surdi audiunt, Mortui resurgunt*, vtpote quæ & alia plurima, puta *incendiorum extinctiones, faciles partus, liberationes à morte tam repentina quam violenta* isthoc medio, nec infrequenter Deus peregerit; in super & maxime animabus vtile est: ita quidem, vt & inimici nostri, dæmones inquam, sint Iudices: auditi non semel à venerabili Viro *Francisco Iepes* (cuius vitam longè Sanctissimam nuper edidit R. P. Ioseph de Velasco) duabus potissimum de causis conquerentes.

Primum

Primum, quod nonnulli *cultum Sanctissime Virginis promouerent* ; deinde etiam quod *Scapulare Carmelitarum plurimi gestarent* : ut pote cuius beneficio animæ complures saluarentur, paucæ vero in eorum potestatem deuenirent. Idem iterum alias diuina reuelatione didicit, dæmones tria maximè odisse.

1. quod nominetur *dulcissimum nomen IESV.*
2. quod *suauissimum nomen MARIE proferatur.*
3. quod *SCAPVLARE Sanctissime Virginis MARIE de monte CARMELO passim feratur.*

Quod sanè illi nunquam sic auersarentur, nisi nobis, quos cane peius & angue oderunt, optimum vtilissimumque, experientia docente, censerent.

Vale & fruire.

* * *

F I N I S.

